
Vacandum Studiis.
Ex Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani.

Henrici Nicolai

1. Natalitia, Editio 2da.
2. Passionalia.
3. Paschalia.
4. Pentecostalia.
5. Michaelia.
6. Tractatus de Magicis Actionibus.
7. Tr. de Causa per Accidens.

D. O. M. A.

De

CAUSA PER ACCIDENS, Tractatus Singularis.

Philosophico-Theologicus.

Quid Causa per accidens propriè sit, an verè ad effectum influat, eoq; vera Causa sit, an nomen tantùm Causæ obtineat, in quo ratio ejus consistat, & an DEUM aliquâ ratione Causam peccati per accidens vocare liceat, an in totum potiùs ab eo abstinendum sit, ac quid de aliis in hoc argumento loquendi modis sentiendum sit, strictìm breviterq; repræsentans.

AUTHORE
HENRICO NICOLAI,
Phil. apud Gedanenses Professore.

DANTISCI. Typis Viduæ GEORGII RHETII exscriptus.
ANNO à partu Virginis Matris,
M. DC. L.

7.

Elenchus Exercitationum Contentarum.

LECTORI ERUDITO ET BENEVOLO, S.

Causæ ſuppetant, *LECTOR ERUDITE, Cur ab omni ſcriptione deſiſterem, univerſo labore me exſoluerem. Ita ſæva & infeſta literis tempora incurſant, horrideq́; ingratus Mundus in literaria opera deſævit. Sontica autem tempeſtas etiam cordatum nautam de ſubducendâ navi commonere ſolet. Nî DEI publiciq́; commodi major ratio habeatur, facilè otii conſenſus acceptus ſit. Sed DEUM mortalib. intereſſe, & tàm boni muneratorem, quàm pravi vindicem eſſe, credendum, eoq́; nondum de ſtatione cedendum, ſed ipſum rectè agere in præmium capiendum, qvando de Mundi præmiis parùm ſuccedit. Cumq́; pagellarum ſpatium hic fuerit*, Auctariis ad calcem adjectis *hic nõnulla ſubjungere viſum viſũ fuit, partìm argumenti ſimilitudinem gerentia, partìm defectum, ſi quem ea aut tractatio paſſa, ſuppletura. Suſcipies ea*, Lector erudite, *pro cæterâ tuâ benevolentiâ, quâ hucusq́; noſtra complexus es, optimeq́; interpretaberis, non ut Mundus, detorquebis, aut ſubſannabis. B. V. Et precib. tuis apud DEUM me juvato. Gedani 4. April. Anno. 1650.*

Ad auctar. 6. *ſequentia adjicies.*

I. Dicitur DEUS concurrere ad actionem, non ἀταξίαν, *ad motum, non pravitatem & defectum motus. Verùm hoc* de generali conſervatione Naturæ *& motuum in eâ accipiendum, quâ in eo vivimus, movemur, & ſumus*, Act. 17. v. 28. *Et actio in genere intelligenda, ut motus aliquis eſt, non ut talis & talis in ſpecie eſt. Sic n. in ſcholâ Ethicâ & Theologicâ* tota eſt mala, *& à Spiritu S. prohibetur, nihil boni habet. Sic concubitus Davidis cum Bethſabeâ, convitia Simei in Davidem jacta*

jacta, tota Ethicè mala sunt. Et hoc modo cum Deus prohibere dicitur peccatum, non actionis pravitatem solùm, sed actionem talem totam prohibet. Vt non occides, furaberis, adulteraberis. Et sic inter actum & ἀταξίαν distinguere parum attinet, aut proficit. Sunt quidem Peccata formaliter deficientiæ à Lege Naturæ & DEI, dicuntq; aliquid privativum: Non tamen puræ meræq; privationes sũt, sed act9, habitus, qualitates, mores animi, simul involuunt. Sic furari & scortari actum, ebriosum esse habitum implicat. Multumq; differunt, formaliter privativum quid esse, & puram meramq; privationem esse. Purè privativa tantùm privant, ut cœcitas, tenebræ, mors: Non merè privativa ita privant, ut aliquid ponant. Sic claudicatio rectitudinem incessus tollit, sed incessum aut motum ponit & prærequirit. Sed omissio præcepti simpliciter privat: Actio humana privat, sed actionem ponit, cui privatio inest, habitus malus habitũ ponit, V. t. 46. Ethica & The. de discrimine motus & defectus, materialis & formalis, positivi & privativi, nihil novit: Sed nec tamen negat, verùm ut alibi assertum in accuratiore scrutinio probat & admittit. Aliud n. non docere de illo discrimine: Aliud docere, inter ea discrimen non esse. Sic non docet Th. quid virt9 aut vitium sit: Vt alibi tamẽ traditum assumit, & virtutes sectandas, vitia fugienda docet.

II. Cum peccare dicitur natura & essentia hominis, natura accidentaliter pro ingenio, vi, inclinatione, & essentia pro studio & actionibus sumitur, quomodo natura viperarũ matres occidere, latronis de nocte ad jugulandos homines surgere, natura solis moveri dicitur. Et ita frequenter apud Lutherum sumitur. Et sic Cantio intelligenda, Durch Adams Fall ist gantz verderbt menschlich Natur und Wesen. Per auxesin & Rhetoricè etiam abstracta pro concretis ponuntur. Vt miseria pro misero, scelus pro scelesto, præputium pro præputiato, & tota

tota hominis natura nil nisi peccatum dicitur. Et inter naturale ac essentiale *distingui potest. Natura est vox essentiam cum qualitatibus notans. Essentia simplicem quidditatem. Natura DEI est, impios punire, non essentia. Peccatum post lapsum est naturale, non essentiale. Naturale soli moveri est, non essentiale. Abfuit enim ab eo,* Josu. 10.

III. *Deus decrevit peccatum, sed* non efficere, *verùm* permittere, *non impedire, dirigere. Decretum DEI & de permittendis, & efficiendis, & dirigendis esse potest.* V. Auctar. 5.

IV. *DEUM peccati Causam per accidens non dicendum esse in Tractatu ostensum est. Quæri ulteriùs potest,* an Logicè peccati Causa per accidens dici possit, si non Metaphysicè? *Huc n. quidam inclinare queant.* R. Terminus Causæ *propriè realis est, & ens reale in* Metaph. *in Causam & Causatum, ut attributum suum disjunctum, dividitur, triaq; circa Causam ibi attenduntur,* entitas *s. essentia, & subjectum, quod Causa denominatur,* influxus *seu Causalitas, per quam aliquid in formali Causæ constituitur, quæ & fundamentum Causæ dicitur, Causa n. est, quæ reverâ in esse Causati influit,* & relatio, *vel respectus, quò Causa ad Causatum ut Correlatum suum refertur, & consecutionem Causati à Causâ facit. Hoc a. modo, si realitatem spectes, Deus Causa peccati nullo modo dici potest, quia non ad illud influit,* ut d. 3. *visum. In Logicis tanquam notio ratiocinandi assumi potest, quà* partìm *thematicæ explicationi inservit, ut cum thema partis primæ per Causas tractatur, aut ab alio tractatum in eas inter cætera Logicè resolvitur,* partìm *habitudinem necessariæ, probabilis, aut apparentis illationis suppeditat, quomodo in demonstratione à Causis progredimur, & in* Topicis *arguendi modos à Causis & effectis habemus, & in* Elenchticis *fallacias Causæ vel secundùm non Causam ut Cau-*

 sam

ſam agnoſcimus. Hæc autem habitudo Logica etiam nihil facit ad affirmandum, DEVM peccati Cauſam p. a. dici poſſe, cum nec thematica explicatio, nec arguēdi ratio Logica talem reſpectum denominationis in DEO ferat aut proponat. Quare & Logicè loquendo à tali formâ dicendi abſtinendum erit. Si Cauſam Logicam latiſſimè omne id dicas, ex quo qualicunq́ modo occaſio ad aliquid arripitur, licebit eo modo DEVM Cauſam per accidens vocare, ſed loquendi modus totus ἀνυ όλογος erit, nec Theologum, nec Philoſophum decens, & Cauſa peccati dicetur, quæ reverâ non Causa erit, ſed unde alius peccandi occaſionem per malitiam ſuam rapit. Quales loquendi modos potiùs fugere, quàm adhibere, ſana ratio jubet. V. d. 4. t. 43.

V. Ad t. 58. Vbi de dictis Scripturæ ſolvendis dictum, ſequentia 3. dicta & exempla, ſpeciem peccati ad DEVM præbentia, adjicere poſſis. Dices 1. Si Deus prorſùs non Cauſa peccati, quomodo potuit Abrahamum jubere occidere unigenitum ſuum Filium, & in ſacrificium offerre? Gen. 22. v. 2. Quod internum peccatum & atrox homicidium erat. R. Non ſeria juſſio, ſed probatio, tentatio, & exploratio obedientiæ Abrahameæ fuit, ut Abraham ipſe promptitudinem ſuam erga DEVM agnoſceret, quare & angelus poſtea factum vetuit, ne faceret, cum ſeriam DEI voluntatem explicaret, v. 12. In probationibus a. multa ſimulamus, quæ ſeria præcepta non ſunt. Et occidere hominem, privatâ nempe authoritate, eſt homicidium, ſicq́ internum peccatum, non a. publicâ authoritate, & ejus, qui jus vitæ & necis habet, qualis DEVS eſt, qui ubi occidere jubet, citra homicidium quis exequi poteſt, abſolutum n. jus in omnes & omnia habet, & cui abſolutè Creaturæ obedire tenentur. Sic Levitæ juſſi occidere cognatos & conſangvineos ſuos, Exod. 32. v. 27. Iſraelitæ Cananæos & Amorrhæos, Deut. 20. v. 16. 17. Pſeudo Prophetā, Deut. 18. v. 9. Saul Amalecitas, 1. Sam. 15 v. 3.

Et

Et quòd non fecisset, reprehensus est, v. 18. 19. *Sic Israelitæ vasa commodatò ab Ægyptiis sumere jussi, illisq; auferre, nec furtum incurrerunt, quia DEVS publicus omnium dominus fuit, qui jubendi & transferendi bona ad alios jus habuit,* Exod. 12. v. 35. 2. Quomodo potuit præcipere, *ut frater fratris sui uxorem matrimonio sibi jungeret,* Deut. 25. v. 5. *quod internus incestus, adeoq; peccatum fuit, & in lege vetitum,* Leu. 18. v. 16. R. Hæc fuit exceptio aliqua à lege, *in casu, in quo lex valere non debuit, ab eo facta, qui jus legem ferendi, eoq; & aliquem casum ab eâ excipiendi, habuit, Cum in omnibus reliquis lex valere deberet, ut si quis cum uxore fratris consvesceret, incestum committeret, excepto hoc casu hæreditatis fratri defuncto suscitandæ. Et in tali casu authoritate legislatoris interveniente legem obligare non debere intelligitur. Et hæc exceptio propriè alicujus objecti seu subjecti est, de quo lex non valere debere dicitur. Cum extra hoc in omnibus aliis obligare intelligatur.* Dices: Sic lex ista mutata erit, *& non erit moralis lex de incestu, quæ immutabilis, sed forensis tantùm.* R. Non lex propriè *mutatur: Sed* objectum aliquod, *quod aliàs sub eâ contentum judicaretur, ab eâ excipitur, & excipiendum esse à legislatore indicatur. Huic objecto excepto propriè mutatio infertur, in eo n. in hoc casu exceptio terminatur. Hoc n. cum sub lege comprehendi intelligeretur, singulariter hic exceptum promulgatur. Sic cum* Vox *Grammatica à regulâ excipitur, vox mutationi propriè subjacet, non regula. In dispensatione lex mutatur, nam relaxatur, cum obligare deberet. In exceptione subjectum exceptum mutatur, non lex. Plura* dec. 3. misc. d. 2. t. 14. Et d. 4. t. 24. Et d. 6. Gym. Ethici, t. 17. 18. *tradita.* III. Quomodo Deus jussit *Simei, ut malediceret Davidi, regi suo,* 2. Sam. 16. v. 10. 11. Der Herr hats ihm geheissen/ *ut* Luth. *reddidit, &* Vulgatus, *Dn. præcepit ei.*

ei, quod internum peccatum & in lege vetitum, Exod. 22. v. 28?
R. In Hebræo *non est jubere, sed tantùm dicere, Deus dixit ei, quod dicere etiam de permissione accipitur,* 1. Reg. 22. v. 22. Num. 22. v. 20. 22. 2. Reg. 2. v. 17. *Non semper jussione. Et sic Deus dixit, i. e. permisit, cum propriâ malitiâ ad maledicendum jam inclinaret Simei. David autem DEO id adscribit ratione directionis, quam in omni malo opere Deus habet,* d. 4. t. 39. *Et* moraliter *loquitur David, non Metaphysicè & subtiliter, in excessu suo, summâ angustiâ, ubi omnia DEO generaliter adscribere solemus.* Augustinus l. d. grat. & lib. arb. c. 20. *Deum non jubendo dixisse ait Simei, ubi obedientia laudaretur, sed quòd ejus voluntatem proprio suo vitio malam, in hoc peccatum justo suo judicio inclinârit.* Plura alibi hac de re.

Erratum aliquod in titulo disp 3. *Commissum sic corrigendum, ut* pro, *Rationes pro DEO peccati causâ,* legatur, Rationes pro DEO non peccati Causâ. Reliqua Benevolus Lector *sponte* corriget.

D. O. M. A.

De

CAUSA PER accidens.

EXERCITATIO I.

Vocem & definitionem Causæ per accidens repræsentans.

QVAM

PRÆSIDE

HENRICO NICOLAI,

Phil. Profess. Publ.

Placidæ ventilationi subjicit

GOTHOFREDUS RESSIUS,

Glogâ Silesius.

In Gymnasio Gedanensi,

Ad diem Decemb.

Horis locoq; destinatis.

Typis Viduæ GEORGII RHETII.

ANNO M. DC. IL.

Magnificis, Nobilissimis, Amplissimis, & Consultissimis

DOMINIS,

Dn. JOHANNI Rossow/ Ergasterii Moderatori primario,

Dn. NICOLAO à Bodeck/ belli Commissario, Vrbis arcisq; Mundanæ respectivè Ædili,

Dn. ADRIANO Engelcken/ Præsidi Censorii Judicii,

Dn. JOHANNI Wahl/

Consulibus hujus Civitatis magnificentissimis, Dominis ac studiorum Patronis, omni devotionis, observantiæ, & honoris cultu venerandis.

Dedicat ac offert

Hoc disputatorium Exercitium,

Godofredus Ressius,
Gloga Silesius.

De CAUSA PER ACCIDENS.

Exercitatio Singularis.

An Cauſa ſit, quid propriè ſit, in quo formale ejus, an vocem Cauſæ minuat, an ſignificatum relinquat, & quæ ejus generis plura, ſpecialiùs disquirens.

THESIS I.

QVod de Græcis *apud* Plutarchum T.2. lib. d. amore prolis *legitur, ad peregrinos judices eos aliquando appellaviſſe, & alieni fori juſtitiam litigando requiſiiſſe, quòd alÿ de aliorum juſtitiâ diffidentes eam, ut rem apud ſe vix reperiendam, aliundè petendam cenſerent,* Prout ignotum omne pro magnifico eſſe, ut Tacitus C.10. Vit. Agric. *Ac de ignotis major fama eſſe ſolet, ut* Idem C.9. ait, *Communiq; ambitionis vitio de externis præclariùs ſentire ſolemus, ut* Euphormio p.1. Satyr. C.134. *loquitur: Ejus non abſimile in Theologicis ſcemmatibus ſuppeditetur, in quibus* ad Philoſophica, *ut peregrinum Theologiæ forum, quandoq; excurrere, in eo litigare, terminos, axiomata, principia, indè mutuari, ac ad Theologica transferre neceſſe habeamus, poſtquam benè multa ex eâ traducere, & quæſita utramq; diſciplinam requirentia formare, & principia pro decidendis illis ex utraq; deſumere conſenſimus, & in morem deduximus. Vix enim*

quæstio arrideat, nisi Philosophico cothurno instructa incedat. Sivè fortè æstimatum, sine talibus terminis sufficienter Theologica *non discuti, explicari, defendi, & terminorum vim ac usum ex alieno foro,* Philosophiâ, *arcessendum esse, principia, hypotheses, definitiones, divisiones, ejus adminiculo formari, deduciq́.* In ipso primo Theologiæ limine, *ubi constituenda ea, definienda, dividenda, plena universa Philosophicis terminis occurrunt.* Genus *ejus inquisitum,* sapientiane illud, scientia, prudentia, intelligentia, an novus habitus sit? *De* Scripturâ *quæsitum, an norma ac mensura, judex, perfecta & adæquata in spiritualibus: In* DEO *esse Dei, attributa, modos & subsistentias, personas, actus & operationes discussimus, actum immanentem, transeuntem, internum, externum, communem, specialem, diximus: In* Christo DEI filio *unionem naturarum, conventum, concursum, Communionem naturarum, idiomatum, perichoresin, actum Naturalem, personalem, actum primum ac secundum, prædicationes ex unione fluentes, & similia designavimus.* In peccato *accidens & substantiam,* Prædestinatione *absolutum & ordinatum ac conditionatum, immediatum ac mediatum, dicere instituimus.* Vix locus Theologicus, *qui non suffertus talibus procedat.* Scriptura *manuduxit, virtutes, vitia, Causas, principia, priora, posteriora, & similia identidem memorans, nec terminorum significata evoluens, sed aliundè haurienda relinquens. Indè ad* Philosophias sobrias, Logicas, Metaphysicas, Ethicas, Physicas, Photinianas, Pontificias, *descendere opus fuit, ut terminis lux, & Canonib. dexter sensus sufficeretur. Simileq́ in quæsito,* Possitnè DEUS peccati Causa per se aut per accidens nuncupari, *evenit. Ad terminos* Causæ, per se, p. a. *decurrendum, formale inquirendum, applicatio & de-*

cisio

cisio inter cætera ex Metaphysico foro bonâ ex parte apparanda fuit. Periclitabimur, Bono cum DEO, *quid de Causâ ejusq́; ratione è* primâ Philos. *constitui queat, quid maximè convenienter de glorioso nostro DEO, cujus oculi malum non videant, & ad iniquitatem respicere non possit,* Habac. 1. v. 13. *asseri negarivè debeat.*

2. *Causam* sive *quasi Cavissam, quòd cavere faciat,* sive *quasi cautam, quòd cognitâ cautus & rerum gnarus esse, ac errores omnis generis cavere possis,* vel *à* καίω, καύσω, *uro, quòd urat, h. e. urgeat, dictam velis,* varia *in variis* significata *admittit.* Rhetoribus *thema & materiam, de quà agitur, notat, unde quatuor causarum genera habent, demonstrativũ, deliberativum, &c.* Philosophis *generaliter quamcunq́; conditionem sine quà non, aut requisitum ad rem, aut ordinem consecutionis, aut quodcunq́; principium ad aliud, etiamsi non Causale præcisè sit, notat. Sic privationem materiæ inter Causas & principia mutationis Physicæ reponunt,* Aristot. 12. Meta. C. 2. *Quia in materiâ requiritur: Et causam sine quâ non dicimus, quæ ita ad operandum requiritur, ut eâ absente operatio impediatur, & non sequatur. Sic remotio ... is conditio, sine quà non vulnus curatur, bona diæta, sine quâ non sanitas comparatur, obstaculorum convertendi remotio, sine quâ non in homine Conversio sequitur, ut* Tract. d. Conversion. C. 9 t. 2. 5. 12. 13. seq. *dicam. Apertio valvarum conditio, absq́; quà lumen Solis non per Museum spargitur. Generali sensu quidã* Theologi *Patrem in divinis Causam filij ajunt, quòd principium & origo filij sit, ac ratione originis, ordinis, numerationis, filius à Patre, non Pater à filio sit, ut* Damascenus, Athanasius, Nazianzenus ap. Scheibler. c. 2. Topicor. n. 2. *Et filius principiatum Patris non per dependentiam causalem,*

 ut in

ut in creatis, sed generationem, derivationem, & originem sit, principiatum, quòd à principio, Causatum, quòd à causâ, non quòd per factionem aut creationem, quòd à causâ factum aut creatum quid, aut cum dependentiâ causali creatâ & imperfectionis ab eo sit. Filius à Patre, non ut effectus à causâ, *Nec filij generatio est novæ essentiæ effectio, ut in creatis, verùm ejusdem essentiæ communicatio:* Sed ut originatus ab originante, derivatus à derivante, & communicatus à communicante est. *Patrem Causam filij dici posse ait* Goclenius, *sed non propriè dictam, hæc enim naturâ aut tempore prior Causato: Sed nostro concipiendi modo ad causam per emanationem reduci posse,* p. 2. Misc. p. 140. *Et post eum* Gumpelius in explic. qu. pro Goclen. q. 2. *Ac à Græcis hæc laxa significatio tracta est, qui* αἴτιον *latissimè sumunt, quod Latini postea in sua linguâ imitati sunt.*

3. *Interdùm* strictè *pro solâ efficiente sumitur, ut* L. 3. d. anim. C. 5. *Sic, qualis Causa, tale causatum, Causa Causæ est causa causati, Nihil est causa sui ipsius, Causa vel univoca vel æquivoca est. Hic sensus apud* Platonem *classicus est, ut ex* Hippiâ majore *& aliis patet,* Itemq; Stoicos, *quorum mentem* Seneca L. 8. Ep. 66. *refert,* Augustino *etiam familiaris, ut ex* L. 83. quæst. q. 28. *Si liber verè ejus est, ubi omnem Causam efficientem dicit, patet, &* Scaliger ex. 297. s. 3. *efficiens principij nomine solum dignum ait. Hoc modo Causæ nomen efficienti conveniet antonomasticè, & cum simpliciter causam dicimus, efficientem notare solemus, ut* Morisanus d. 3. Phys. q. 6. *tradit.* Socrates *apud Platonem solam Causam finalem admisit, ut* Raconis Tra. d. princip. d. 2. q. 2. *testatur.* ICtis *statum Causæ & negotium, de quo agitur, & litem, de quâ contenditur, significat.* Logicis *notionem & instrumentum*

mentum notat, quo vel objectiva apprehensio & thematica explicatio dirigitur, ut in parte 1. vel illatio necessaria aut probabilis contexitur, ut in parte materiali, Apodicticâ & Topica. Metaphysicis medio modo *sumitur, pro eo, unde aliquid intrinsecè aut extrinsecè dependet, constituitur, producitur, ut per 4. causarum genera dividatur.* Idq; generaliter & specialiter, *& hoc* vel *adæquatè vel inadæquatè,* vel *pro causis internis,* vel *sola efficiente*, vel *Causâ primâ.* Hac ratione tria in Causâ spectari solent, Entitas *seu res, quæ Causa vocatur,* Causalitas *s. influxus in causatum*, & relatio *inter causam & causatum exsurgens. Inprimis* Causalitas *hic adverti, indeq́ definitionem Causæ sortiri solet. Quæ non minùs apud Philosophos varia, ac vocis significatio.* Quidam *generaliter, quæ in suo genere ac principaliter ad constituendum effectum, ut* Pererius L. 8. Phil. C. 1. Alij *principium per se influens in aliud, ut* Suaretz d. 12. Meta. s. 2. Scharfius th. transce. d. 10. Ruvius l. 2. Phys. c. 7. n. 53. & Tract. 4. n. 2. Struborgius dis. d. princip. & pr. t. 17. Arriaga d. 7. Phys. s. 1. n. 7. *Quamvis* Idem d. *10.* n. 49. 50. *Causam præcisè definiri ait, quæ influit esse in aliud,* Raconis tract. de princip. q. 3. Mendoza d. 8. Phys. s. 1. Et d. 9. s. 1. Eustachius S. Pauli p. 1. Phys. tr. 2. d. 1. q. 1. Alij, *per quam aliquid contingit, ut* Plutarchus L. 1. d. plac. Philos. C. 11. Alij, *quod reddimus, cum inquirimus, propter quid res unaquæq́ sic se habeat,* Alij, *Cujus vi effectum est, ut* Vietor diss. 3. Top. t. 23. Goclenius, & Scheiblerus, Alij *aliter definiunt. Commodissimè* principium in esse Causati verè & realiter influens, ac effecto esse suppeditans, *vel principium, ex quo effectus secundùm esse pendeat, ut* J. Mart. d. 3. d. Caus. pecc. t. 11. & alii, definiatur.

4. Divisiones *similiter varias Causa apud* Metaphy-sicos *sortitur*, *quas illic videre queas. Nec enim integrum Causarum tractatum molimur.* Celebris *ante alias est* in eam, quæ per se est, & quæ per accidens. *Quamq; nonnulli* primo *omnium loco ponunt*, *ut* Scharfius the. transc. d. 10. C. 2. t. 20. J. Martini, l. 1. part. Met. s. 7. t. 26. Alstedius p. 1. Meta. C. 34. Masius in 2. Phys. C. 3. q. 4. *Et* alij *generalem omni causæ faciunt*, *ut* J. M. c. l. & q. 6. & l. 1. Exerc. ex. 4. t. 1. Alsted. c. l. Masius c. l. Scharf. c. l. & Appendic. 2. t. 8. Hunnius d. 7. Meta. t. 20. 23. Alij *ad efficientem restringunt*, *ut* Scheiblerus C. 3. Topic. n. 80. & l. 1. Meta. C. 22. & d. 20. l. 1. Meta. t. 10. Timplerus l. 3. Met. C. 2. q. 52. Alius *ex recentiorib.* C. 5. Met. t. 10. Suaretz d. 17. Meta. s. 2. Combacchius C. 19. Metaph. t. 8. Raconis Tr. d. princ. d. 2. s. 2. q. 3. Morisanus d. 3. Phys. q. 7. Ruvius in 2. Phys. C. 7. Tr. 4. n. 4. Finckius p. 1. sched. 27. Ursinus d. 4. qu. illust. t. 160. seq. Nic. Hunnius Can. Log. C. 4. t. 118. 119. *Quanquam & generaliter in Causis ejus meminerit* t. 26. 46. Aliiq;. Per se *dicunt*, *quæ secundùm suam naturam agat & effectum producat*, *ut homo generet hominem.* Per accidens, *quæ non necessariò ad effectum producendum concurrat*, *sed per accideus. Sic per accidens Civis hostem spoliat*, *per se tantùm patriam defendit.* Aliis *per se est vi suâ & nativâ*, *non alienâ aut adventitiâ*, *& secundùm naturam ac intentionem suam*, *non præter eam*, *vel ex sese*, *non alieno*, *efficere.* Aliis *per se*, *ad quod in actu positum*, *non impeditum aut impugnatum*, *necessariò effectus sequitur. Per accidens est*, *quod necessariò vel naturâ sui ad producendum effectum non concurrit*, *etsi aliàs reverâ influat. Variant enim hic Philosophi*, *ut ex* Timplero c. l. aliisq; *patet. Indeq; & Causa per acc.*

non-

nonnullis ita definitur, ut vera ac realis Causa ad effectum non sit, sed accidentaliter hic accedat, eoq; divisio Causæ in per se & per accidens magis nominalis æquivocæ vocis distinctio, quàm realis in species divisio sit, ut Scharfio c. l. Et append. 2. t. 17. J. Martini c. l. Eexerc. Met. Recentiori c. l. *Quanquam & ad oppositum inclinet* C. 6. t. 7. Hesselbein. Th. Log. C. 4. q. 3. Timplero c. l. Aliis ap. J. Mart. d. 6. d. Caus. pecc. t. 4. Echardo in dis. d. Caus. p. accid. & Coroll. 3. Metap. Suaretzio c. l n. 2. Struborgio d. prin. & pr. t. 17. Aliis *ita, ut verè & ἀναλόγως Causa sit, & Causa ut genus analogum ad per se & p. acc. se habeat, hæc reverâ ad effectum producendum influat, sive id per efficere, sive per deficere in agendo fiat, cum nempè ipsi Causæ per se agenti aliquid accidentale accedit, ut ædificanti esse album vel doctum, ubi album reverâ domum struit, sed non virtute suâ, verùm alienâ, ædificatoris. Sic si ligna securi secare intendens pedem vulneret, per accidens vulnerat, sed verè tamen :* Vel *ut disponat subjectum ad effectum, licet non semper proximè, tamen remotè, adeoq; non influxum neget, sed τῷ per se opponatur, ac nexum necessarium reiq; alicui in specie convenientem neget. Sic vinum hominem ebrium efficiens reverâ sit causa homicidij ab eo perpetrati, quòd malè subjectum disposuerit, aurum reverâ materia poculi sit, illudq; materialiter constituat & ingrediatur, etsi non necessaria, sed accidentaria & contingens sit.* Ut J. Mart. d. 3. d. Caus. pecc. t. 11. 12. seq. 48. D. 5. t. 5. ubi & t. 48. *Causam p. acc. ratione effecti, quam* quidam *addunt, æquivocè & nomine tenùs saltem Causam esse addit, non illam autem, quæ ratione Causæ sic dicatur, & quæ verè* Aristoteli *tantùm causa p. a. dicatur,* V. t. 10. & t. 3. Ac 5. d. 5. *ut genus analogum Causam se habere ait ad*

Caus.

Caus. p. s. & p. acc. ut & ens ad substantiam & accid. se habeat, de quibus rectè inferas: Substantia est ens per se subsistens. E. verè Ens. Accidens ens in alio existens. E. verè ens. Sic & de causâ per s. & p. a. se habeat. Similiter d. 8. t. 24. *omnem effectum per acc. talem dici ob causas ex instituto aliud intendentes, & ideò per acc. hunc effectum producentes & consequentes. Vt si debitor in forum procedens Creditorem fortè offendat, Concursus utriusq́; accidentarius ob influxum Causarum concursum illum producentium dicatur, quæ eum non intenderunt.* Conf. & Finckium c. l. q. 27. Vietorem d. 4. Top. t. 109. 176. Alstedium *loco* t. 4. *citato*, aliosq́;, Vrsinum in l. 1. Log. Ram. C. 5. & d. 4. qu. ill. t. 160. 163. Scheibler. c. l. & d. 20. c. l.

5. *Cæterùm* aptissimè Causa per se dicetur, ad quam effectus per se sequitur, eaq; ad eum per se ordinatur. Per accidens principium accidentariò influens, & accidendo Causæ per se cum hac constituens ac producens. Vel, *ad quam per accidens effectus est, ipsaq́; ad eum accidentaliter ordinata. Sic cum effecto per se intento aliquid præter intentionem contingens additur, ut cum pisces capienti tripodis, & vineam fodienti thesauri inventio accidit. Nam* præter intentionem agere *Causam per accid. non satis accuratè determinat. Causæ enim Naturales sæpè præter intentionem agunt, cum intentionem habere nequeant, & tamen per se. Sic Calor præter intentionem calefacit, cum nulla in eo sit, & tamen per se, frigus frigefacit, densat, constringit, humidum humectat, liquat, fundit, siccum stringit, cogit, coarctat, per se, & præter intentionem tamen.* Et propriâ virtute aut alterius agere, *etiam non satis Causam per se aut per accid. determinat, sed magis Causam principalem & instrumentalem.*

Hujus

Hujus enim est à virtute & influxu alterius operando dependere. Præter vim ac virtutem agendi *agere, etiam non adæquatum in hoc negotio est. Vim enim habent, sed eò non ordinatam, quo effectus oritur.* Itaq; ad Causam per accidens requiretur, ut Causa verè aliquid efficiat, *Ei, quod efficit, effectus ab ipsâ non intentus accedat, nec effecto per se intento necessariò nexus, rarò ei apponatur, nec Causa ex consveto aliàs agendi modo procedat, ac per se agenti attributum addatur, à quo effectus verè non est.*

6. Et Causam per accidens *verè ad effectum influere, etsi non eo modo, ut Causa per se, nec nominetenùs solùm inter Causas, quæ æquivocè nomen participent, de re nihil verè contineant, referendam, sed reipsâ aliquam Causam esse, & velut analogon aliquod attributionis Causam ad eam per se & p. acc. esse, probabiliùs* ex rationibus, hypothesibus, & authoritat. Aristotelis, *ex quibus & contrarium hic sentientes procedere velle profitentur, constare potest.* Rationibus, 1. Quia *Causa per accidens verè definitionem Causæ participat, Principium, ex quo effectus secundùm esse pendet, vel in esse effecti realiter influens,* t. 3. *Veramq; Causam esse* influxus *facit, quicquid de influxus modo sit. Nec Causalitatis veritas à modo, sed Causæ concursu & effectus ab eâ veritate, quæ intrinsecè causam & causalitatem denominant, non extrinseco aut prorsùs accidentario, dependet.* Nec addendum in generali Causæ definitione, per se vel per aliud, vel p. accid. ut Suaretz alijq; *faciunt,* t. 3. *Hoc enim ad* speciales causandi modos *pertinet, qui in generali definitione abstrahi debent, & ad eos legitima definitio indifferens esse debet. Sic principaliter vel instrumentaliter, remotè aut propinquè, ordinariè aut extraordinariè, naturaliter aut præternaturaliter influere, ad speciales causandi*

modos pertinet, & à generali Causæ definitione abesse debet. Quicquid autem alteri esse dat non ex nostrâ suppositione, sed rei, id verè influit. Et ad quod sequitur effectus, qui sine hoc ex reipsa supposito sequi non potuisset, id verè in esse effecti influit. Quodq́ cum effecto accidentali hoc & illo in specie nexum aliquo modo necessariũ habet, id vera est Causa. Sed in Causà per acc. ista omnia ita se habent. E. necesse est verè Causam esse, secùs definitionem participare non possit. 2. Quia exempla verarum Causarum p. a. idem docent, *quòd illæ reverâ causent & in effectum influant. Sic* qui securi ligna secare intendit, *& per accidens sibi vulnus in pede infligit, is reverâ vulneravit pedem, etsi per acc. & præter intentionem. Nemo ex eo, quòd per acc vulneravit, non vulnerasse dicet, aut causam vulnerationis non realem, sed nominalem & æquivocè dictam tantùm fuisse. Effectus quidem verè fortuitus est & à fortunâ adversâ, ut vulgò dicimus, & sic à Causa p. a. virtute & efficaciâ hominis ligna cædentis ac agentis: Verè tamẽ ab illa Causâ.* Sic qui agorum fodit, *& fodiendo thesaurum invenit, Causa per accidens inventionis thesauri est, fortuitò enim, Contingenter, & præter intentionem, à fortunâ prosperâ, invenit. Verè tamen thesaurum effodit & invenit, nec æquivocè tantùm invenisse dici potest.*

7. Cum efficiente enim per se conjungit se aliquid contingens & per accidens, *dirigitq́ actionem fossoris, ut efficientis, ad thesaurum absconditum detegendum, ut fodiens terram præter exspectationem fodiat & inveniat thesaurum, eademq́* ἐνεργείᾳ *& actione, quâ foditur terra, effodiat quoq́ thesaurum. Ignorantia autem thesauri facit fossorem Causam p. a. inventi thesauri. Si enim fossor scivisset, thesaurum ibi latere, sciens & volens, ac ex proæresi fossionem instituisset,*

& la-

& laborem eò direxisset, ut thesaurum erueret, & sic Causa per se inventionis thesauri fieri potuisset. Cum non sciverit, & tamen invenerit, Ignorantia eum causam inventionis thesauri per accidens conciliavit. Sic cum quis casu *& non volens hominem occidit, cum id non intendat, verè hominem interemit, eoq; civitas asyli tali in V. T. constituta fuit, ad quam confugere præ vindice sangvinis debebat.* Exod. 21. v. 13. Num. 35. v. 11. *Si quis non verè, sed æquivocè tantùm Causam homicidij fuisse dicat, risum merebitur, & legibus à DEO super hoc statutis parum satisfaciet. Sic qui grandius saxum de domo projicit, & prætereuntem interimit, Casu & p. a. ejus causa dicitur. Et tamen reverâ occidit, etsi præter intentionem.* Qui impediendo *aliquem à periculoso itinere avertit, in quo capitis periculo involui eum oportuisset, per accidens & indirectè Causa conservationis in illo dicitur, dissuasit enim iter, movit, & impulit ad omittendum aut differendum illud. Et Causa impediens ex occasione ac per obliquum in alterius conservationem fertur. Ita qui deficiendo auxilium alteri aquis merso negat, per accidens suffocationis illius causa est. Potuisset enim non perire, si auxilium non negavisset alter. Itaq; privando interitum causavit, qui auxilium negando in agendo defecit.* Ebrietas Causa p. acc. homicidij *in ebrio est, quia disponit eum ad illud. In quib. omnibus* modus aliquis veri influxus ad effectum est, *etsi accidentaliter eò ordinati. Aurum est materia poculi per accidens, cum ex aliâ esse posset, rotunditas forma per accid. Album p. acc. est Causa efficiens domus, cum nigrum esse posset, Columnam submovens per accidens trabis decidium causat, si hoc non intendit.* Tabellio *in viâ ab urbe aberrans, & celeriter retrogrediens, & retrogressionis & celeritatis Causa per acc. est, non enim eam intendit,*

tendit, sed ex occasione aberrationis suscipit, reverâ tamen & retrogressionem & celeritatem efficit, cæteraq; effectis suis esse etiam suppeditant. Sic creditor *in forum progrediens fortè debitorem offendit, quod non intendit. Concursus accidentarius est, sed ratione influxus causarum eum producentium, qui talis non esset, nisi uterq; eo tempore in forum se contulisset. Et Causæ per accidens isti talis concursus dicuntur ob causas ex instituto eum non intendentes, eoq; per accidens hunc effectum producentes, non ob effecta fortuita concurrentia. Sed si quis ex intentione ac sciens volensq; agat, Causa per se dicitur. Sic* Simson *columnas domus subvertens domum labi facit,* Jud. 16. v. 30. *Per se & ex destinato, eoq; Causa mortis Philisteorum per se fuit, non per accidens, etsi consequenter.*

8. 3. Quia per se & per accid. causare *modi speciales sub causando ut generali contenti sunt, velut & principaliter ac instrumentaliter, remotè aut propinquè, naturaliter aut moraliter,* t. 6. *Sic Causa per se efficit, Causa per accid. etiam efficit. Sed illa naturâ sui & per intentionem, hæc citra naturam sui, & præter intentionem. Sed modi speciales naturam generalem sui entis, quod dividant, participare solent, ut Inductio ostendit. Aequivoci enim ratio hic locum non habet, ut cum ens in reale & rationis, positivum & privativum, dividitur, ut* t. 9. *patebit.* 4. Quia quod per accidens rei competit, *& de eâ prædicatur, in quamplurimis verè tamen rei competit, vereq; de eâ dicitur, ut homo est doctus, rudis, pauper, dives, paries est albus, rubeus, niger, album est Musicus, ædificans, Evangelium seditiones ex abusu hominum movet, Vinum ex abusu utentis inebriat, &c.* Sivè per accidens tale sit, *quod potentiam ad utrumq; oppositum habet, ut lex gratiam conciliat, & iram operatur per accid: Sol liquefacit & indurat:*

Sive tale, *quod potentiam ad unum determinatam habet, ex accidente autem aliquid contra illam determinationem inest, ut Scriptura excœcat, in errores inducit, cum in se lumen & veritas sit. Utrumq́ enim modum τὸ per accidens complectitur. E. & cum Causa p. a. dicitur, verè tamen causa est, & verè ad effectum influit. Sicq́ realis causæ modus est, non merum nomen Causæ per æquivocationem participat.*

9. 5. Quia si Causa p. a. reverâ non Causa est, & *solum nomen ac appellationem Causæ habet*, vel *illam destruentem significationem ex termino Causæ*, vel *termino per accidens*, vel *utriusq́ termini connexione habebit. Quartum n. hic dari non potest. Sed* ex nullo *horum habet.* Non ex Causâ, *terminus enim Causæ influxum ad Causatum dicit, & huius ab eo dependentiam, an per se ille sit, an per aliud, non præcisè determinat, sed indifferenter relinqvit*, t. 8. Nec ex per accidens, *qvia hic in plerisq́ realem influxum ponit, etsi non necessariò* ac *immotè cum effecto connexum, in aliis etiam denominationem antecedentis relinqvit, non in totum destruit aut negat. Ut Ens per accidens, non ob id ens negatur, etsi complexum qvid importet, ut album, Currens, doctum, rude. Sic Musicus per accid. sanat, non ob id negatur Musicus. Album per accid. ædificat, non ob id album destruitur. Sic modis dicendi per se oppositi sunt modi dicendi per accid. non ob id modi dicendi esse negantur aut destruuntur. Nec omnis additio statim alienans & destruens est. Qvalis homo mortuus, Domus combusta, palatium destructum est, Et cum termini virtualiter contradicentes combinantur.* V. de Contradict. s. 2. t. 27. seq. Nec ex utriusq; termini connexione, *nam hi termini naturâ sui non sunt minuentes & destruentes, secùs in omni materiâ & terminis combinatis tales essent,*

quod non est. Iò per accidens enim antecedens in multis relinquit, ut ante *visum. E. nec connexio eorum præcisè terminum Causæ minuere aut destruere potest.*

10. 6. Quia ut Ens in Metaphysicis *in ens per se & per aliud per analogiam aliquam attributionis inæqualis dividitur, & utrumq; de entis ratione verè participat, nec quisquam ens per aliud tantùm æquivocè & nomine tenùs ens dicit, quasi reverâ non ens esset, sed aliud ens ab ente per se distinctum eiq; contradistinctum, & sic reverâ ens dicit, etsi complexionem quandam involuat, ut homo albus, animal currens, Corpus ponderosum: Imò quædam entia per accidens ita realia sunt, ut in realib. ac principalibus disciplinis adæquata ac totalia objecta faciant, ut sonus numerosus in* Musicâ, *Corpus ponderosum in* Staticâ, *Linea visualis in* Opticâ, *Quantitas numerabilis in* Arithmeticâ, *& consequenter.* V. Metaphys. L. 1. c. 8. n. 5. *Vt angustior velut ratio & modus entis sit, per aliud esse,* sub quo deinde ens per accidens *ut species aliqua contineri debeat.* Sic Christus unum per aliud, *Mirabilem Naturarum concursum, non a. per accidens est, ut in* Metaphys. *pluribus doceri debet. Sic & Causam in Causam per se & per aliud, per eandem analogiam dividere licebit, & sic Causa per accid. de realitate Causæ omninò participabit, veraq; Causa erit.* Conf. t. 23. 7. Quia si Causa per acc. *terminum causæ destruit, & non causam ex eâ facit, non poterit unum idemq; agens simùl causa per se & per accid. esse. Non enim aliquid simùl ens & non ens, Causa & non Causa, esse potest, quia Contradictoria hæc, & se evertunt, ut nullo respectu conciliari possint. At unum idemq; agens simùl Causa per se & per acc. esse potest, ut* Vinum *per se calefacit hominem, p. accid. frigefacit, quà calorem nativum dissipat aut suffocat:* Sol *per se Causa illumi-*

illuminationis, per accid. tenebrarum, quà inter eum & visum nostrum aliquid interjicitur, impediens, ne radios in horizontem, supra quem erectus est, spargere possit: Christus *per se petra salutis & Causa illuminationis est, per accid. damnationis & scandalizationis,* Luc. 2. v. 34. Judas *per se causa proditionis Christi, per accidens humanæ redemptionis fuit,* Josephi fratres *per se venditionis, per accidens conservationis familiæ Jacobi causæ erant,* Gen. 45. v. 5. C. 50. v. 20. Calor *per se soluit, per accid. coagulat, frigus per se siccat, per accid. humectat,* V. d. 2. & 3. Dec. 1. Miscell. *E. τὸ per accid. terminum Causæ non evertit, sed relinquit.*

11. *Sic* rationes *pro veritate Causæ per accidens fuerunt.* Ex hypothesibus Aristotelis & Aristoteleorum *idem probari potest.* Aristoteles 4. *genera Causarum statuit & esse demonstrat* L. 2. Phys. c. 3. & l. 4. Meta. c. 2. & l. 12. c. 4. *Et in his quasdam per accid. agnoscit, ut Polycletus, albus, aut Musicus Causa statuæ. Omnes a. Causas influere ad causatum exempla ab Aristotele adducta docent. E. & Causam per accid. influere oportebit, sicq; Causam eam esse necesse erit.* Idem *fortunam ac Casum inter Causas refert & agnoscit, & non mentem, actionem, proæresin aut naturam dicit, sed occultam quandam causam, quæ cum Causâ per se concurrat, seq; uniat, ut ædificans & album aut Musicum ad domum,* 2. Phys. C 4. 5. *Sed fortunam & Casum inter agentia per accid. quæ agant virtute Causæ per se agentis, ponit, ut cum fossor terram fodit, cum efficiente, fossore, occulta quædam vis, fortuna, se conjungit, & thesaurum inveniri facit.* V. t. 6. *Agere autem Causam importat. E. & causa p. a. Causa aliqua erit. Idem Causam per accidens in eo ponit, quòd ipsi Causæ per se aliquid accidat, secundùm quod Causa per acc. denominetur. Sic domus*

Causa

Causa per se ædificator est, per accid. Musicus aut albus. Sed causa per se vera causa est. E. & accedens per accidens aliquid de causâ participare oportet. Idem *ut ens aliud per se, aliud per accidens, sic & causam esse ait. Quia Causa ens quoddam est.* 2.Phys. t.50. & 11. Metaph. c.7. *Sed ens per accid. verum ens est, non fictum aut æquivocum tantùm,* t. 10. *E. & Causam per acc. veram & non æquivocam aut nominalem tantùm Causam esse oportet.* Idem *Causam p. acc. dici ait, quæ absolutè considerata ens p. accid. est, quòd ens agens sit ens p. accid. Sed istud ens verè agit. E. & id, quod ei junctum, etsi non ita directè & primò, ut illud. Et* c. l. *semper Causas p. accidens* ex parte causarum, non effectorum, *determinat, speciesq́; earum assignat, remotiores & propiores, actu & potestate, non effectorum, quasi Causa p. acc. sit, cum ad ejus effectum alius effectus per accidens accedit, ut si domo egresso tonitru accidat, aut columnæ motionem molis impositæ lapsus sequatur, quæ naturali suâ gravitate deorsum fertur,* t. 17. *Quos modos Interpretes* Aristoteli *appsuerunt, cum ab eo nuspiam traditi aut assignati sint, ut plurib. ostendit* Dn. J. Martini d. 3. d. Caus. peccat.

12. Ex authoritatibus *idem probari potest.* Aristotelis *exempla de Causâ p. acc. omnia docent, eam ad effectum aliquid conferre, eoq́; certo modo veram effectus causam esse,* t. 9. 10. Alij, ut Scheiblerus c. 22. Meta. & c. 3. Top. Ubi n. 77. *Supponendo, quòd aliquid sit Causa, tùm si non agat cum intentione, loquendo de agentibus voluntariis, dici ait agere p. accid. & negat hoc suppositum de Deo in respectu ad peccatum admitti.* Postea *requisita Causæ p. acc. recenset,* n. 79. J. Martini etsi in exerc. Metap. *divisionem Causæ in p. s. & p. a. veluti æquivoci in significata sua esse censuerit:* in posterioribus tamen scriptis *realem eam esse asseruit Causæ in modos suos subjectos, ut in* Partitionib. Meta. Et d. 3. d. Caus. pecc. Vt t. 4. *adductum.*

COROLLARIA.

1. Quid nomine Philoſophiæ *Coloſ.* 2. *v.* 8. intelligatur, an notitia naturæ rerum, quam hodie ea indigitare ſolemus, an traditiones ac placita Phariſæorum, Sadducæorum, & Esſeorum, quæ tempore Pauli iſta ſcribentis ita vocabantur? Hoc probabilius arbitramur.

2. Rectiusné Philoſophia, an Coſmoſophia, Panſophia, Phyſioſophia, aut ſimiliter appelletur? Poſterius Aff.

3. An variis modis vox Philoſophiæ ſumatur? A.

4. An per artem, ut genus, cum *Rameis & Freigio*, vel compagem, Syſtema, & comprehenſionem cum *Keckerman. Scheiblero, Alſtedio*, vel cognitionem cum *Ammonio, Conimbricenſ. Damaſceno*, vel doctrinam cum *Slutero & Becmanno*, vel habitum animi cum *I. Martini, Scharſio, Reyero*, definienda? Poſt. Aff.

5. Qualisnam habitus ſit, corporisné an animi, ſimplex an compoſitus, unius objecti, an aggregati? Poſt. Aff.

6. An principalis, an inſtrumentalis ſit, an in prædicamento ſit, & in quo? Prius & poſtrema Aff.

7. Quodnam *objectum* ejus, an natura rerum, an ens reale, an res divinæ & humanæ, an ſcibile naturale liberale primarium? Poſt. Aff.

8. An vera ejus differentia ſit, quod ſcientiâ & prudentiâ civili conſtet? N.

9. An juſtiùs ab objecto & fine ea ſumenda ſit? A.

10. Quis finis ejus adæquatus ſit, an intellectus perfectio, an voluntatis, an utriusq́; & qualis illa perfectio ſit, an ſpiritualis, an civilis, theoretica vel practica, an utraq́;? Poſt. A.

11. An inter opera carnis, *Gal.* 5. referenda ſit, impiorum gentilium inventum ſit, officina hæreſium ac errorum, & medium deprædandi homines, ac à veritate Chriſtianâ deducendi ſit? N.

12. An rectè Philoſophos Patriarchas hæreticorum dixerit *Tertullianus*? D.

13. An verè in principiis, ſtatutis, vel conſectariis ſuis, ex toto vel ex parte, Theologiæ ſtatutis ac dictatis contraria & repugnans ſit? N.

14. An

14. An potiùs *Theol.* usum præstet genesi & analysi, confirmando & oppugnando, adstruendo & destruendo, tantæq; in hodierna Theologia necessitatis sit, ut multa in eâ sufficienter sine Phil. defendi aut explicari non possint? A.

15. An Theologiæ subordinata dici possit, & quo sensu? Accidentaliter, non essentialiter.

16. An & quo sensu verum illud *Ennianum*: Philosophare, sed paucis? An potiùs illud *Rungianum* obtineat: Philosophare, quamdiu potes, nimium non potes. Excellens Philosophus, excell. Theologus. Olim videbis? Quod *VVeixelberg. præf. d. 1. term. citat.* D.

17. *Principium* ejus adæquatum quodnam, an lumen Naturæ, an Scripturæ, an sententiæ Philosophorum, sectæ Philosophandi, traditiones veterum, aut hypotheses variorum? Primum Aff.

18. An & Deus inter principia ejus numerari possit? A.

19. An adæquatè in theoreticam & practicam, & illa in *Noologiam, Metaphysicam, Pneumaticam, Physicam, & Mathematicam*, hæc in *Ethicam, Oeconomicam, Politicam, Scholasticam, & Historicam* dividatur? A.

20. An instrumentales habitus, ut *Grammatica, Logica, Rhetorica*, vel Lexica, ad Philosophiam, ut partes ejus eam velut totum integrum aggregantes, referendi sint? N.

21. An præstantior Jurisprudentiâ & Medicinâ sit, illis objecta ac principia suppeditet, ut si Phil. non esset, hæ esse non possent? Aff.

22. An homines pauperes, abjectos, contemptos, faciat? N.

23. An in Scholis Christianorum ferenda ac colenda, an verò extirpanda & abroganda sit? Prius A.

24. An & ex scriptis gentilium eam discere, eoq; libros gentilium legere, explicare, profiteri, apud Christianos liceat? A.

D. O. M. A.

De

CAUSA PER accidens.

EXERCITATIO II.

De

Rationibus, Causæ per accid. definitioni oppositis.

QVAM

PRÆSIDE

HENRICO NICOLAI,

Phil. Profess. Publ.

Placidæ ventilationi subjicit

JOANNES NEISSERUS,

Thor. Borussus.

In Gymnasio Gedanensi,

Ad diem Januarij.

Horis locoq; destinatis.

Typis Viduæ GEORGII RHETII.

ANNO M. DC. L.

De
Rationibus Causæ per acc. definitioni oppositis.

XII.

ET d.4. t.11. *explicat, quòd per fortuitos effectus rectiùs in Causarum p. acc. cognitionem & distinctionem deducamur, & magna exemplorum in his pars Causæ p. acc. tantùm æquivocè dicantur, veraq; causæ non sint, eoq; exempla talia adduxerit, de Deo autem nunquam admiserit, Causam pecc. p. acc. Eum dici posse.* D.5. t.3. & 7. *Vt genus analogam ad inferiora se habere ait.* V. t.4. Imò d.8. t.35. *ait, si abusum terminorum prævidisset, nunquam* Suarium secutum, distinctionem illam causæ per acc. propositurum, sed rejecturum fuisse, *prout & jam rejectam respectu illius abusus velit, cum effecta per accid. concurrant ex causis p. acc. quæ proindè ratione suæ causalitatis & modi agendi sic dicantur, indeq; & effectus per acc. denominari debent.* Combacchius C. 8 Meta. *Ens per se & p. acc. in ratione effectus dicit, quando dependentia unius ab alio in ratione causalitatis est vel per se, vel per accidens.* Postea *finem aliquem accidentarium esse posse ait, sed quoniam ab agente accidentaliter intendatur. Itaq; perseitas vel accidentalitas ipsius effectus tota ab agente dependere videtur, agens enim vel per se, vel per accid. potest concurrere, quia vel propriâ virtute & intentione, vel per accid. agit. Ens verò per accid. hoc modo est, quod evenit vel præter intentionem talis causæ aliud intendentis, vel ex minore parte ab eâ fit, vel ei per accidens conjunctum est.* Præter intentionem, *ut cum fossione voluntaria thesaurus inventus conjungitur.* Ex minore parte, *ut cum natura deficiens monstrum producit,* Per accid. con-

junctum, *quando accidenti agentis causæ denominationem tribuimus, ut Musicus aut albus ædificat. Et quanquam* Idem *causam per acc. & ex parte effectus esse dicit, modosq́; ejus ex* Bellovisu *recenset* C.19. Tamen t. 24. *Causam p. acc. definit ex agentis ratione, cujus per se non sit influxus in effectu producendo, ac pro exemplis fortunam & casum recenset.* Raconis Tract. d. princip. d. 2. s. 2. q. 3. *Causam p. acc. dicit, à qua, ut talis est, non pendet effectus, ut est Medicus respectu domus, & Logicus respectus statuæ.* Mendoza d. 8. Phys. t. 116. *Causæ p. acc. est, ait, quæ ita concurrit ad effectum, ut ad illum non sit necessaria, ut si Musicus calefaciat. Vel quæ habet conjunctam secum aliquam rationem, quæ nihil confert effectui nec mediatè, nec immediatè. Vt qui Toletum ivit fratris invisendi causa, & per accidens ibi pecunias recipit, quod non intendit, Et qui navem trahens muscam in eâ simul trahit, quæ licet in navi non esset, tamen navis traheretur. Quam doctrinam se ex* L. 2. Phys. C. 5. t. 50. Arist. *desumpsisse dicit. Vbi causam p. a. ex Causæ & causationis ratione deducit. Idem facit* Eustachius S. Pauli p. 1. Phys. tr. 2. d. 3. *in speciebus suis Causæ p. acc. ut privativæ, ut Sol occidendo tenebras facit, conjunctæ cum verâ causâ, ut Musicus sanat, & conjunctæ cum effecto accidentaliter causæ attributo, ut tegula de domo descendens prætereuntem lædit.* Casus L. 1. Phys. C. 3. q. 2. *Causa p. acc. est, ait, quæ non secundùm propriam essentiam, sed secundùm accidens aliquod effectum parit.* Fonseca 5. Meta. C. 2. lit. y. *Causas p. acc. aut ea dicit, quæ causis per se accidunt, aut ipsas causas per se ratione eorum, quæ effectib. eorum per se accidunt, ut cum Statuarius est causa candidi in statuâ condidâ.* Ruvio loco t. 4. citato n. 4. *Causa p. a. est, à quâ ut tali non procedit effectus, sed quæ per acc. conjungitur Causæ per se. Vt Musicus*

sicus causa statuæ, quia Musica conjungitur statuario. Gutkius in Syno. Log. p. 692. *ad formalem rationem Causæ p. acc. pertinere ait, esse Causam, h. e. reverâ importare influxum ad esse Causati. Quæ enim per acc. fiunt, reverâ fiunt, non quidem necessariò influere, sed tamen influere & disponere subjectum ad effectum producendum, non proximè, sed remotè & fortuitò. Idem sentit* Clotz. in Sylloge d. attrib. div. q. 27. *Ita in* Ethicis *Causa p. acc. actuum moralium, affectuum vehementia dicitur, quando contra ordinem naturæ voluntatem ad partes trahunt.* V. Tannerum T. 2. Th. Sch. d. 2. q. 2. d. 3. 4. *Qui certè influunt.*

13. Dices I. Causa est principium per se influens esse in aliud, *ut* Svaretz. d. 12. Meta. s. 2. Arriaga, Mendoza, Raconis, Eustachius S. Pauli, aliiq; *definiunt.* V. t. 3. *Sed Causa p. a. non per se influit in esse. E. non vera causa, sed nomen tantùm habet.* R. Major *solâ authoritate* Svaretzii *& aliorum nititur, quæ in libertate Philosophicâ non absoluta est, sed ad rationem examinanda.* V. th. 26. *Scriptor Philosophicus* Svaretz *est, non Dictator. Definitio ipsa* vel *potioris analogi est, de quo cætera participant, ut in* Metaphys. *fieri solet, inde non inferendum, reliqua analogata, quæ ad illud reducuntur, tantùm nomen participare, & æquivocè illud esse. Sic Civis, qui jus suffragij habet.* Aristotel. 3. Polit. C. 1. & 5. *Quidam tamen actu illud non habet:* Vel *generaliter sumpta falsa est, & τὸ per se ad specialem aliquam causæ rationem pertinet, ac proinde in generali Causæ definitione, quæ ab omnibus speciebus abstracta esse debet, poni non debet. Causaq́ erit, quæ reverâ ad causatum influit, sive id per se & directè fiat, sive per accid. & indirectè.* V. t. 6. *Nec per accid. influere idem ac æquivocè influere est. Sic qui per accid. & casu homi-*

nem interimit, qui lignum fissurus per acc. pedem vulnerat, verè, non æquivocè, vulnerat. Qui agrum fodiens p. acc. thesaurum invenit, reverâ, non æquivocè, invenit, etsi id non intendat, t. 6. *Secùs per acc. influere idem ac non influere, & p. acc. Causam esse nõ Cau. esse erit, & sic pro eo, cũ dicitur, Deũ esse causam pecc. p. acc. satiùs dicetur, Deum non esse causam pecc. τὸ per accid. enim minuet & destruet causam esse.* Cur ergò dicunt Causam, quæ reverâ ex sensu rei tandem non causa est?

14. II. In eo causa per accid. & non Causa differunt, quòd illa cum effectu, cum quo per accid. conjungitur, & ad quem accidentaliter se habet, concurrit, *eoq; Causa p. a. ejus respectu dicitur, etsi reverâ ejus causa non sit. Sic qui agrum fodit, & præter intentionem thesaurum invenit, ratione influxus moralis seu intentionis non magis causa est, ac alius fodiens, & nihil inveniens. Sed de illo dicitur invenisse thesaurum, quia nempè ejus fossio cum inventione conjuncta est, de hoc non dicitur, quia non conjuncta ea. Istius accidentalis conjunctionis cum effectu causa per accidens dicitur. Quòd autem prorsùs non causa est, nullam cum effectu conjunctionem habet, nec per se, nec per accid. Et de eâ effectus nullo modo dici potest.* R. 1. Si causa p. a. *conjunctionem cum effectu habet, aut per modum influxus eam habet, aut sine illo.* Si prius, *verè influit, & sic verè causa est, quod Nos volumus.* Si posterius, *ne causa quidem est, nec sola cum effecto conjunctio causalitatem importat. Qualis enim ea sit, quæ influxus in effectum veritatem de causâ neget? Et si Causa p. a. causa effectus dicitur, & reverâ non est, malè sic dicitur, & ab isto loquendi modo potiùs abstineri debeatur.* 2. Falsum est, agrum fodientem moraliter nihil conferre ad inventionem thesauri, æquè non, ac qui nihil invenit. *Nam cum thesaurum invenisse*

venisse verè & realiter de eo prædicetur, de hoc autem non, ut sensus & ratio testantur, necesse est fundamentum aliquod affirmatio habeat, secùs verè non procedit. Illud autem in fodiente ad effectum esse oportet, cum aliud hic non suppetat. Non autem per se in ipso est. E. per accidens, & fortuna se cum illius fossione conjunxit, unde præter intentionem thesaurum invenit, non cum hujus, & sic nihil invenit. V. t. 6. 10. *Omnisq; Causa p. acc. requirit effectum p. ac. Cujus ratione ita dicatur, secùs appellationem non verè sortietur.*

15. III. Exempla Causarum p. accid. *apud* Aristotelem 2. Phys. C. 2. 3. Et 8. Phy. C. 4. Et 5. Meta. C. 2. *omnia talia sunt, quæ verarum Causarum rationem non habent, aut verè in effectum influunt. E. nec veræ illæ Causæ. R. Antecedens falsum est, cum ὀνεργῦντα vocentur,* 2. Phys. t. 34. 37. 39. *Prius & posterius dici in illis agnoscat,* t. 32. *Quod analogorum, non æquivocorum, est. Quædam ut potentia ad operandum, alia ut operantia, fatetur,* t. 34. *Vbi autem operationes sunt, veræ causalitates sunt.* IV. Aristoteles album, Musicum, statuæ *Causas per accidens vocat. Sed ista ad statuam propriè non influunt.* R. Arist. *expreßè Causas vocat, aliter Polycletum, aliter statuarium, causam vocat, αἴτια συνεργῦντα dicit. At quomodo Causæ, si nulla in illis causalitas & influxus? Per accidens influunt, non per se, & hactenus in illis causalitas.* V. Etiam fortuna & casus inter *causas p. ac. referuntur, quæ tamen ad effectum non influunt.* R. Omninò *ista influunt, tanquam occultæ virtutes cum agentibus per se se conjungentes, & sic effectum esse aut fieri facientes,* t. 11. 14. *Sic qui findit ligna, & casu se vulnerat, tegulam de domo projicit, & casu prætereuntem lædit, columnam aut lapidem removet, & casu domum labi facit,* t. 6. 7. *Aliquid ad effecta ista confert.*

confert. Dices: Qui columnam removet, *in remotionem columnæ tantùm Physicè influit, non autem in ruinam domus aut cædem hominum. Domus enim remotis columnis propriâ vi corruit, & homines interimit.* R. Sive Physicè, sive Ethicè & moraliter influat, *dummodò verè influat, causa ejus dicitur. Si non removisset columnas, nec domus ruisset, nec homines interemisset. Totius actus & inchoatio & terminus ab eo est, etsi remotè; Itaq; eò influere oportet. Sic qui ignem ad domum applicat, verè domum comburit, etsi Physicè ignis id faciat. Qui foramen per navis inferius terebrat, verè navem submergit, etsi aqua Physicè id faciat. Qui cultro hominem occidit, Physicè, qui eò incitavit, moraliter occidit.* Unius rei plures causæ esse possunt, *una directa, principalis, Physica, propinqua, per se: Altera indirecta, instrumentalis, moralis, per accid. remota. Vtraq; verè tamen causa, & in effectum influit.*

16. VI. Etiam hoc inter causas p. a. *à Philosophis refertur, cum per concurrentiam in uno tempore aliquid causa p. a. à vulgo dicitur. Vt cum me domo egrediente tonitru fit, ingrediente habitatores morbo infestantur. Vbi tamen nullus influxus aut vera causa est. Et* Aristot. 1. Post. C. 4. ista per accidens *vocat.* R. Hoc exemplum prorsùs non ullius causæ, nec per se, nec p. acc. est, *nec ullam conjunctionem Causarum vel effectorum continet, sed merum connexum contingens, adeoq; à nostro scopo totum alienum est, ubi non connexio per accidens in subjectis, sed Causa p. a. quæritur.* Accidit, *Vt utraq; Causa per se agens, una ambulationem, altera detonationem efficiens, effectum suum eodem tempore producat. Et* Aristot. c. l. *nihil de Causis per accidens dicit, sed propositiones necessarias ac per se, & contingentes ac accidentales recenset, quæ à Causis mul-*

tum sunt diversæ. *Sic* paries *albus ens p. a. Sed Causa ejus, dealbator, qui ex destinato eum dealbat, effectus istius Causa per se est.* *Sic* annulus aureus *ens p. a. Causa tamen ejus, aurifaber, per se & ex destinato eum confecit.* *Nec* Arist. *ista à Causâ p. a. esse dicit,* sed quæ de subjecto per se non dicuntur, accidentia se vocare ait, *nempe subjectorum suorum, quibus cum componunt ens per acc.* De accidentaliter connexis agit, non præcisè de causis, quæ p. a. aliquid producunt. *Illud longè latiùs hoc est. Sic quod non propter se,* Arist. *accidens dicitur. Vt si ambulante aliquo fulguravit, accidens est. Non enim propter ambulationem fulguravit. Si verò propter se, per se est, ut si quis jugulatus interijt, & per jugulationem. De illis, quæ per & propter se insunt, aut non insunt, eoq; ita dicuntur, agit* Arist. *Non respectu eo, quo aliqua à Causis per se aut aliis fiunt aut non fiunt. Ita accidens, h. e. contingens dicit. Non* κατὰ συμβεβηκὸς *vel secundùm aut per accidens est aut dicitur, quomodo loqui solet, cum causas p. a. contra causas per se distingvit, ut* 2. Phys. C. 3. t. 34. Et C. 5. t. 50. *Vt poculum est aureū. Quod nexum per acc. Per se, quod necessarium habet, hic dicitur, ut homo est animal, ut in* Topicis *solet.* V. L. 1. Top. C. 5. L. 4. C. 1. L. 1. Phys. C. 3. Et Isagog. Porphy. C. 6. *Non attento, an à Causâ per se, an p. a. proficiscatur.*

17. VII. Omnes Philosophi *Causarum p. a. duos modos tradunt,* ex parte Causæ, *cum causæ aliquid accidit, ut, Musicus ædificat,* & ex parte effecti, *cum effecto aliquid contingens jungitur, ut cum piscatoris piscari, qui effectus per se est, contingenter accidit, aureum tripodem extrahere.* *Vt* Svaretz, I. Martini, Scheiblerus in Topicis & Metaphysicis, Ruvius in Physicis, Bellovisius, Javellus, Crellius, Scharfius, Werembergius, Capsius, Combacchius, Alstedius, Pererius,

Mori-

Morisanus d. 3. Phy. q. 7. Masius in 2. Phys. C. 3. q. 4. Rathmannus, aliiq; infiniti. *Non ergò temerè divisio tot authorum rejicienda. Quod autem effecto per accidens jungitur, ad id causa realem influxum non semper habet. Sic qui columnam subtrahit, per accidens lapidem ei incumbentem movet, & qui lapidem ab utre, qui in aquâ est, removet, per acc. eum movet.* R. Philosophorum sententiæ ponderandæ, non numerandæ, *nec authoritas sola rationem sufficientem dat, nec errantium multitudo errori patrocinium parare potest.* V. t. 26. *Et in his exemplis* vel *aliquid influxus à causâ ad effectum est*, vel *verarum Causarum p. acc. exempla non sunt, nec ab* Aristotele *pro veris exemplis in propriis locis, ubi de causis p. acc. ex professo agit*, ut 2. & 3. Phys. *Et* 4. 11. ac 12. Metaph. *adducta, quicquid de peregrinis locis sit, ubi sæpè obiter & ad vulgi mentem loquitur, è quibus de verâ ejus sententiâ constitui non debet*: Vel *multa è Philosophis hic adducta ad rem non sunt. Sic qui columnam removet, per acc. ad lapsum molis vel domus ei incumbentis influit*, t. 7. 15. *Eoq; verè inter Causam p. acc. referri potest.* *Et ubi* Aristot. *Causarum p. a. divisiones adducit, semper ea ex parte Causæ adducit, nunquam effectus, & quidem tales, quales ipsarum Causarum per se, ut remotiores, & propiores, actuales & potentiales*, t. 11. *Similiter & effecta p. acc. adducit, eaq; priora & posteriora, per se & p. acc. actu & potestate esse dicit*, 2. Phys. C. 1. Sed effectorum esse dicit, non Causarum. *Et ut ibi* Causæ *ex parte Causarum divisa: Sic hic* effecta *ex parte effectorum, non autem hæc causarum divisiones censendæ sunt, ut hinc Causæ p. acc. dicenda, cum effectui earũ accidentale quid conjungitur, in quod Causa ipsa nullum prorsùs influxum habeat, & Causa tamen p. acc. denominari debeat.* Effectus per acc. dicitur, quia à causâ

per acc. productus est, non autem ab effecto vel ejus accidente, quod causam nihil attinet, Causa per acc. denominatur. *Et in columnâ remotâ moles ei imposita* naturali facultate, *quam à generante impressam habet, deorsùm se movet, veraq; descensus Causa est. Sed columnam removens* impedimentum tantùm descensus removet, *quo remoto ipsum grave naturali suâ vi verè deorsùm vergit, non autem removens istud movet, sed movere tantùm videtur, quia impediens descensum removit. Et sic* hic non Causa Causæ, *ea quæ per se, ei, quæ p. a. opponitur, sed* absolutè Causa non causæ *opponitur. Et removens non est vera causa descensus, sed naturalis gravitas lapidis, Cumq; removentem per a. lapidem movere dicitur,* τὸ per acc. cum vulgo & abusivè *sumitur. Qui lapidem ab utre sciens volens removet, Causa per se est, ut uter naturali suâ levitate se sursùm moveat. Qui ignorans aut imprudens, per accidens.* Svaretz *non veras divisiones causarum per acc. ratione effectorum recenset, sed sumi & recenseri ab aliis ait, eoq;* aliorum sententias & significata vocum *enarrat, & ratione intentionis, non actionis, quædam p. a. dici ait, Et in quibusdam concursus ad causas, non effecta refert, vereq; fictis illis causis p. a. ratione effectorum sic dictis non patrocinatur, ut pluribus* J. Marti. d. 4. d. Causâ peccati *deducit.*

18. VIII. Quando pila à projiciente projecta, *& à pariete reflexa est, projectionis Causa per se projiciens, & reflexionis paries interjectus, & impetum projecti à projiciente incussum reflectens est, & Causa quidem per accidens, non per se, & tamen paries propriè in motum projecti non influit. E. causa aliqua per a. sine vero ad effectum influxu dici potest. Exemplum illud* Aristot. l. 8. Phys. C. 4. t. 32. *habet.* R. Paries hoc in casu non habet veræ Causæ per accid. rationem ad

reper-

repercussionem, sed ut analogum aliquod eò ex mente A-rist. reducitur. Durities enim parietis. *quæ Causa reflexionis*, rationem impedimenti *habet, quò minùs pila motum rectum à projiciente ut primariâ causâ intentum absolvere possit, & in hoc præcedentibus exemplis de impedimentum ponentibus aut removentibus simile est.* In eo autem differt, *quòd motum non ita impediat, ut quiete eum terminet, sed reflecti faciat, & simile Causæ p. a. continet. Durities enim parietis per acc. sese conjungit non cum causâ per se, projiciente pilam, ut in veris Causis p. a. fit, sed cum energiâ & vi à movente lapidi impreßâ, ut sit motus projecti per illam & proinde per a. reflectatur. Ita in hoc exemplo vera & primaria motus Causa est projiciens, & paries ad eum, ut causa per ac. accedit, reflectens istum motum. Si enim pila à movente projecta non fuisset, reflecti à pariete non potuisset. Sed veræ accidentalis causa hic non est, nec* Arist. *pilam à pariete p. a. motam dicit, sed negat, & projicienti id tribuit, & catachrestìcè ac cum vulgo talia, ut removens columnam, lapidem ab utre, parietem motum retinentem, per a. movere ait, ut molem columnæ incumbentem deorsum, aquam sursum, pilam retrorsùm, non propriè & accuratè, ut causam p. a. in* Physicis ac Metaph. *definit. Nec Causam causæ in exemplis his jungit, nec movens per se moventi p. a. Sed causam non Causæ, & movens non moventi opponit. Negat enim pilam à pariete moveri, & à projiciente factum dicit.*

19. IX. Aristoteles gubernatoris absentiam aut incuriam Causam p. acc. submersionis navis ait, L. 2. Phys. C. 3. t. 30. *Cujus præsentia & animadversio fuisset Causa conservationis. At gubernator absens propriè nihil influit ad submersionem. Hoc venti & fluctus faciunt. E. quædam Causa p. a. sine influxu ad effectum est.* R. Arist. *non dicit absentiam*

sentiam esse Causam p. a. submersionis, sed Causas per se earumq́ proprietates quasdam recenset, ut plures causas unà ad unum effectum simul concurrere, Efficientem & finem sibi vicissim Causas esse, & efficientem per se contrariorum effectuum Causam esse, *& hoc declarat exemplo, Quòd idem navis gubernator simul servatæ & perditæ navis Causa sit, Illud, si adsit, hoc, si ab eâ absit. Per se ille est Causa servatæ navis, ubi adest, & gubernari navem facit,* Et per se est causa perditæ, *ubi voluntariè abest, & gubernationem deserit, quam promovere debet. Sic Medicus malitiosè ægrum deserens, per se Causa mortis ejus est, quem præsens & curans per se servare potuisset. Nec obest, quòd absens Causa moralis saltem perditionis sit.* Nam & moralis, & Physica Causa, per se subordinari possunt. *Sic tàm prætor, quàm carnifex, Causa per se decollationis in homicidâ est. Sed ille moraliter per modum imperij & decreti, hic naturaliter per modum jugulationis & occisionis. Vt prætor homicidam Physicæ potestati carnificis submittit, ut eum occidat: Sic gubernator malitiosè navem deserens potestati Physicæ ventorum & fluctuum ad perdendam eam submittit.* Uterq; Causa effectus per se est. *Et si hoc simile ad Deum in Causâ peccati applicandum, fiet Deus Causa peccati per se, quod impium.*

20. Dices: In eo est diversitas, *quòd Nauta ex officio servare navem debeat, eoq́ se obligârit. Itaq́ deserens eam perditionis Causa per se est. Deus autem nec debet cuiquam aliquid, Nec se ulli obligavit, eoq́ peccatorem deserens libertate suâ utitur, & sequentium inde peccatorum in homine Causa per se dici non debet, sed tantùm p. a.* R. Ex eo virtuti collationis nihil detrahitur. *Simile enim in argumento ad probandum aut declarandum adhibitum* necesse habet in eo, in

quo collatio instituitur, in quâ declarationis aut probationis vis esse debet, ut verum sit & conveniens, non alienum & discrepans, vel nullam collationem admittens. *Secùs enim invalidum est. Ita si hic vis inferendi esse debeat, talis sit: Vt nauta navem, sic Deus hominem deserit. Vt ex navis desertione perditio sequitur: Sic ex hominis peccatum. In hoc autem, quòd nauta ad servandam navem ex officio obligatus sit, nulla est inter Deum & gubernatorem comparatio, & sic diversitas hic intercurrens vim collationis in similitudine aliquâ effectus ab utroq; consequentis fundatam infringere non potest. Et si similitudo hic nulla est, neq; comparatio ulla Dei cum nautâ institui potest, sed mera diversitas & alienitas Comparatorum relinquitur, ac comparata tota evertuntur.* Dicendumq; negando: *Non ut nauta navem deserens Causa moralis submersionis in eâ est: sic Deus hominem relinquens Causa moralis peccatorum ab eo prodeuntium est. Sic tota comparatio & consequenter probatio in eâ fundata subversa est, Deusq; nec causa moralis per se, nec per accidens peccati dicendus est.*

21. X. Ens ad ens per se & p. accid. est æquivocum, *& ens p. a. non tàm ens, quàm entium congeries & entia est, ut omnes* Metaphysici *docent*, Svaretz, Fonseca, Scheiblerus, Jac. Martini, Timplerus, Weremberg, aliiq;. *E. & Causa ad Caus. per se & p. a. æquivoca erit. Sequitur enim Ens, etiam per* Aristotelem, V. t. 11. *Et sic Causa p. a. æquivocè ac impropriè Causa erit.* R. Ens ad per se & p. accid. æquivocum est, *non quòd Ens p. a. nomen tantùm entis habent, reverâ non ens sit, sic enim doctum, album, coloratum, Respublica, verè entia sunt, non tantùm nomen entis habent, & quædam etiam in disciplinis considerantur,* t. 10, 23. *Sed*

quòd

quòd eo gradu ac modo ens non participet, quo unum, simplex, & incomplexum *ens dicitur, quod entitatem, unitatem, indivisionem, directè & primò habet,* Complexum *indirectè, per reductionem & resolutionem in simplex, & sic consequenter entitatem, unitatem, indivisionem, & ipsum sortitur. Sic composito aliquâ ratione respondet, quod inter primarias attributorum disjunctorum species referri solet, cum* ens in simplex & Compositum *dividitur. Non ita se habet cum ente rationis, quod fermè tantùm æquivocè Ens dicitur, ut præter nomen de verâ realitate nihil habeat.* Sed complexum, per aliud, per accidens, aliquid realitatis habet, resolvendo nimirùm in incomplexa, ex quibus conflatur. *Quod* Metaphysici *agnoscunt, cum Ens per accid. non tàm ens, quàm entia esse dicunt. Aliquid de ente ergò relinquere illi oportet. Et quidam per modum unius rationis formalis per se, quæ proprietates suas habeat, concipi ajunt,* V. t. 23. *Imò* Raconis *Ens ad ens per se & per accidens univocum ait, & in conceptu communi entis realis convenire, cujus differentiæ velut sint, τὸ per se & p. a. Ac utrumq; etiam unum esse, sed unitate communi abstractâ à per se & p. a. Quæ ad utrumq; indifferenter se habeat. Quomodo & ens reale ad utrumq; commune et indifferens sit,* P. 2. Metap. tr. 1. C. 2. f. 2. q. 4. Et Compe. Meta. C. 1. p. 1. Et additam. ad Meta. Tr. 1. d. 1. q. 2. *Ita divisio entis in incomplexum & complexum, per se & per aliud,* analogæ divisioni *respondet, non æquivoci in æquivocata, utrumq; ens aliquod est, sed non pari ac æquali gradu & modo participandi, sed τὸ per se directè & per prius, τὸ per aliud, sub quo τὸ per accidens comprehenditur, indirectè & per posterius, mediantibus incomplexis, ex quibus constat, & in quæ resolvi debet.*

22. XI. Multæ additiones sunt alienantes *& esse minuentes, non ponentes & relinquentes, ut serra cerea, homo mortuus, domus combusta, palatium destructum, vivum incineratum, Virgo deflorata. Vbi non inferendum, E. serra, domus, vivum, palatium, virgo, est. Non enim amplius talia sunt. Sic etiam in Causâ per accidens cogitandum.* R. Causa per acc. non est æquivocum quid ad Causam, *sed analogum, Quomodo & ens p. a. analogum quid est,* t. 10. 21. *Itaq; exempla ista omnia impertinentia sunt. Serra cerea solum nomen habet, usum & officium, à quo serra dicta, à serrando, prorsùs non, eoq; analogum quid nullum inre hic est. Nuda vocis competentia est, & serra cerea similis in figurâ tantùm est veræ serræ. Hac ratione sensus erit; Causa p. a. erit similis tantùm Causæ. At hoc alienum, nam definitionem Causæ participat,* t. 6. *Homo mortuus & virgo deflorata contradictionem in terminis continent, & per ampliationem, ut* Logici *vocant, explicanda sunt, h. e. qui fuit homo, mortuus est, & jam homo non est, Quæ fuit virgo, deflorata est, & amplius virgo non est. Si hoc ad Causam et Deum in peccato applicandum, hic sensus erit: Quod fuit Causa p. a. et Deus est Causa per accid. h. e. aliquid, quod fuit causa peccati p. acc. et jam amplius non est. At hoc etiam de Deo incompetens,* Qui nec est, nec fuit unquam Causa peccati, *ne per accidens quidem.* Et si τὸ per accidens omninò tollit Causam, rectiùs in totum negatur Deus Causa peccati vel per se, vel per accid: Quàm odioso ac horrido loquendi modo ita dicitur, *et postea per æquivo ationem explicatur, quæ sub nomine nihil rei relinquit. Perinde acsi Imperatorem, Principem, Regem aliquem, omnium scelerum in ditione suâ authorem p. acc. dicas, et illud per acc. minuere authorem, et non authorem, seu æquivocè tantùm authorem*

thorem dicere addas, non feretur talis lingvæ audacia ac malitia in Republ. ſed abſtineri in totum à logomachiâ tàm injurioſâ jubebitur. Simile quid de Deo *habendum, cujus majeſtatem nec directè, nec indirectè, violare, ſed omni modo ſalvam conſervare, Chriſtiani eſt. Nec tropicis, æquivocis, impropriis titulis ac nominibus nomen Dei violare convenit. Talesq; loquendi modi varias detorſiones in Theologiam inferunt, à quibus etiam ſatiùs abſtinetur.*

23. XII. Si Cauſa per acc. vera ſpecies Cauſæ eſt, *E. et quoddam ens per accid. directè et primò in diſciplinâ tractandum erit. Quod communiter in* Metaph. *negatur, ubi nullam diſciplinam de ente p. a. agere aſſeritur. Species enim Cauſarum ex profeſſo et principaliter deducere debet Metaphyſicus, et nullus alius. Cauſa autem p. a. erit ens per accid. At Conſequens non admittitur in Metaph. E. et antecedens falſum erit.* R. Ens p. accid. ratione Cauſæ, *quod nullam certam et propriam Cauſam habet, ſed caſu adjungitur, ut agrum fodiendo theſaurum invenire, Muſicum aut album ædificare, in nullâ diſciplinâ conſideratur. Et hoc volunt Metaphyſici.* Sed ratione unius, *quod ex duab. rebus diverſis conſurgit, ut coloratum, potio medicamentoſa ex variis ingredientibus confecta, Et ſubjecti, quod rarò in ſubjecto ſuo recipitur, etſi alioquin certas ac determinatas Cauſas habeat, ut Eclipſis Solis & Lunæ, febris hectica, Colica, ſpaſmus, monſtrum, poteſt in aliquâ diſciplinâ conſiderari. Sic* numerus *aggregatum quid, & in Arithmeticâ,* numerus ſonorus *in Muſicâ,* Corpus ponderoſum *in Staticâ, morbi & medicamenta compoſita ex commiſtione plurium exſurgentia in Medicinâ, alia in aliis diſciplinis conſiderantur.* V. t. 10. *Animal monſtroſum Ens p. acc. In Phyſicis tamen & Medicis conſiderationem habet.* Sic entia

colle-

collectiva ordinata *in disciplinis interdùm considerantur, ut exercitus & Respublica in Politicis, Ecclesia in Theologicis, Philosophia in Philosophicis, &c.* Deinde *ens per acc.* in actu signato & generali suo ac formaliter *omninò in* Metaphysicis *repræsentandum est, docendo, quid, quotuplex, & quale sit, & quid terminus significet, per modum enim unius rationis formalis per se ita concipitur, quod proprietates suas habet, ut* Javellus 6. Meta. q. 9. Svaretz in Indic. 6. Meta. C. 2. *Et* d. 4. Meta. f. 3. n. 2. *volunt, Imò* Raconis *ens ad per se & p. acc. univocum ait,* V. t. 21. *Est enim velut species analoga entis, in quam, ut attributum disjunctum secundarium, Ens distingvitur, ut per se & per aliud dicatur, & sub hoc ens p. acc. comprehendatur,* t. 21. Non autem in particulari, in actu exercito, & materialiter *pro rebus substratis, quæ Ens p. acc. vocantur, & descendendo ad specialia exempla entis per acc. Quomodo in* Physicis, Ethicis, Politicis, Mathematicis, Medicis, *entia p. acc. habentur, quæ inferioribus disciplinis relinquuntur. Ita etiam de Causa p. acc. ut alterâ analogâ Causæ specie in generali* in Metaphysicis *tractandum, non in universum hoc omittendum est.*

24. XIII. Si τὸ per acc. in Causâ *Causæ rationem non tollit, sed relinquit, E. in omni re, cui ista denominatio adjicitur, rem relinquet. Ita si Canem pictum aut sculptum Canem p. a. voces, reverâ ille Canis erit, si hominis cadaver hominem per accid. reverâ illud homo erit, si aggregatum unum per accid. reverâ id unum erit, cum propriè multiplex & multum ens, non unum sit. Sic Deus indurare, excæcare p. a. dicitur. Et reverâ tamen id faciet, cum eventualiter tantùm id sequatur, & Deus culpam hic non trahat, ut in* Theol. *docetur. At hæc omnia absurda. E. et in Causâ τὸ per accid. Causam non relinquit, sed minuit.*

De Noologiâ seu Intelligentiâ.

1. An *Intelligentiam* ut peculiarem habitum in Philosophiâ specialiter dare & assignare opus sit, ut *Aristoteles*, *Gutkius*, *Hornejus*, *Scharfius*, *VVendelinus*, *Alstedius*, *Svaretz*, censent, an potiùs ut facultas hominis naturalis veritatem primorum principiorum penetrandi, habenda, ut *Morisanus*, *Sotus*, *Durandus*, *Medina*, *aliiq;*, vel facto in Circo Philosophiæ omittenda sit, ut *Reyerus*, *Scheiblerus*, *alijq;* faciunt? Primum Aff.

2. Quodnam verum ejus *genus* sit, per quod definiri debeat? An sapientia, scientia, prudentia, an habitus theoreticus simplex? Post. Aff.

3. Quodnam adæquatum ejus *objectum* sit, an rerum affinitas, ut communiter, an subtilitas, ut *Gutkius*, an ipsum primum principium, ut veriùs sentitur? Post. Aff.

4. An & habitum primorum *principiorum practicorum* comprehendat, quem Synteresin vocant? An specie hic ab eâ diversus sit, ut *Alstedius* vult? Prius Aff.

5. An habitus theoreticus, practicus, vel ex utroq; aggregatus & compositus sit? Prim. Aff.

6. An habitus *simplex*, an per discursum demonstrativum principia probans sit, ut *VVendelius* vult? Prius Aff.

7. Quibus ex *Causis* habitus ille exsurgat? Internis nempè, materiali & formali, & externis, Efficiente ac fine.

8. *Attributa* an habeat, & qualia èa sint? Necessitas, dignitas, utilitas, jucunditas, ultima specialitas, quà alias species sub se non habet, ut sapientia, scientia, prudentia, sed ipsa infima species est, Individua tantùm in hoc aut illo subjecto agnoscens.

9. An rectè in partem generalem & specialem dividatur? Aff.

10. An *Cura* ejus s. modus docendi ac discendi eam in impedimentorum remotione, & requisitorum positione consistat? Aff.

11. An *primum princip.* in definitione suâ, fundamentis, & affectionibus justè repræsentetur? Aff.

12. Quod-

12. Quodnam ejus *fundamentum* cognoſcendi? *Materiale* entitas ac affinitas rerum, *formale* affinitatis ſcibilitas & contemplatio eſt.

13. An unum conceptum *objectivum & formalem* habeat, eoq; juſtè pro objecto in diſciplinâ repræſentetur? Aff.

14. An attributa habeat, & quænam ea ſint? Veritas, Univerſalitas, Perſpicuitas, Immedietas, Infallibilitas, & in diſtinctâ cognitione præcognitio?

15. An rectè in Theoreticum, Practicum, & Poëticum ſeu organicum dividatur, & omnes ejus ſpecies hæc exhauriant, an primum principium *illiberale ſ. mechanicum* addendum ſit? Prius Aff.

16. An *Theoreticum* rectè in Primarium & Secundarium dividatur, & utrumquê abſolutè & reſpectivè tale dici poſſit? Aff.

17. An *Practicum* ex rerum naturâ ſui operabilium convenientiâ in bonitate & perfectione deducatur, & voluntatem in operatione morali dirigere debeat? Aff.

18. An *activa* ab Intellectu per naturalem appetitus ad bonum inclinationem, & bonitatis ſub diverſo ſtatu conſideratæ collationem advertantur? Aff.

19. An ſufficienter per ea dividi poſſint? Aff.

20. An *Organica* ab intellectu per actum collativum ſupra reflexum fundatum animadvertantur, ut intellectum in cognoſcendi modo juvent ac promoveant? Aff.

21. An fundamenta eorum objecta intellectus ſint, quà habitudo rationis per non repugnantiam obedientialem illis competens in iis connotatur, à quâ denominationem accipiant? Sic Animal ſub genere, vocem ſub Caſu & motione ſpectare? Aff.

22. An rectè in princip. ratione vocum & conceptuum dividantur, & illa ad loquendum, ut *Grammatica, Rhetorica, & Poëtica*, hæc ad cognoſcendum & retinendum deſtinentur, ut *Logica & Mnemonica*? Aff.

D. O. M. A.

De

CAUSA PER accidens,

EXERCITATIO III.

Rationes pro Deo peccati Causâ per accidens, repræsentans.

QVAM

PRÆSIDE

HENRICO NICOLAI,

Phil. Profess. Publ.

Placidæ ventilationi subjicit

GEORGIUS WILLENIUS,

Mariæb. Borussus.

In Gymnasio Gedanensi.

Ad diem Februarij.

Horis locoq; destinatis.

Typis Viduæ GEORGII RHETII.

ANNO M. DC. L.

De DEO, an Causa per accidens ad peccatum dici posit.

Thes. XXIV.

R. Majoris consequentia non est necessaria. *Nec enim si in quibusdam* τὸ *per acc. rem, cui tribuitur, relinquat, id in omnibus statim, cui adjicitur, facere oportet,* cum tanta τῷ per acc. *latitudo esse posit, ut in quibusdam significatum relinquere, in nonnullis minuere, in aliis magis ad ens accedere, in alijs magis ab eo recedere posit,* Quod in terminis amplissimi significati non insolens est. *Sic in ente p. acc. significatum ita variatur, ut magis & minus suscipiat.* In quibusdam *enim multæ partes sine ullâ unione ac ordine congeruntur, ut cumulus arenæ, tritici, avenæ, acervus lapidum, pomorum, prunorum,* in aliis *etsi unio Physica non sit, ordinem tamen partium ad aliquid dicunt, ut exercitus ad ducem, Respublica ad principem aut Optimates,* in aliis *unio partium reperitur, sed diversi generis, ut cum substantia & accidens in subjecto concurrunt, ut album, nigrum.* Primum *genus maximè Ens p. accid. facit, nam & in unione & ordine partium deficit, eoq; maximè propriè ens p. acc. dicitur: minùs* secundum, *minimè* tertium *genus.*

25. *Et in multis rebus* τὸ *per accid. rem, cui adjicitur, non tollit, sed relinquit, ut ens per accid.* t. 21. *Causa p. accid.* t. 6. *Materia per accid. ut aurum, argentum, stannum, poculi, sericum aut pannus vestimenti, & materia tamen: Et forma per accidens, ut ligno, mallei, mensæ, scamni formam habere, finis per acc. ut natura per se perfectionem, p. aliud corruptionem intendit, & tamen verus finis aliquis.* Quædam *etiam exempla in adductis stultè per accidens vocantur, ut Canis pictus, sculptus,*

homo mortuus, domus combusta, quæ nec per se, nec p. accid. Canis, homo, domus, sunt, sed prorsus æquivocè, & solum nomen habent, nihil rei & significationis, quæ aliàs in vocibus est. DEVS indurare dicitur quâ duritiem ipsam eventualiter, non originaliter & efficienter, sed desertivè & Sathanæ dando: quâ pœnam *ac judicium causaliter & judicialiter, sed per Sathanam ut lictorem & carnificem suum, non per sese. Et longè diversum est, aliquid de aliquo prædicari per accidens, vel illi tribui, quod Theologi interdum de Deo affirmant, ut* Hutterus L.C. p. 257. aliiq;, *& sensus est, hoc prædicatum, indurare, planè accidentarium & improprium de Deo est:* Aliud, *Deum esse Causam p.a. ejus, quod de eo dici non potest, nam hoc influxum ad eum dicit, ut* t. 30. *patebit. Sic verbum est odor mortu ad morte per acc.* 2. Cor. 2. v. 16. *Sed non est Causa mortis p. acc. sed accidentale eventum. Lex irritavit peccatum p. accid.* Rom. 7. v. 5. *Non fuit Causa per acc. peccati. Multa per accidens de subjectis dicuntur, quorum non statim Causas p. accid. hoc aut illud dicere licet.* V. t. 16.

26. XIV. Etiam alij Philosophi *Causam p. acc. interdùm dicunt, quæ reverâ ad effectum nihil influit, cujus Causa esse dicitur. Sic* Mendoza *causam per accid. ait, quæ conjunctam secum rationem habet, quæ nihil ad effectum confert, mediatè aut immediatè,* V. t. 12. Casus Epit. 8. Phys. c. 8. *Causas per accid. duplici modo dici ait, vel quia per se in opere artis & naturæ producendo nihil agant, vel quia in opinione quidem habeantur Causæ; re tamen Causæ non sint. Sic conditio sine quâ non interdum efficiens dicatur, & casus ac fortuna inter causas numerentur, quæ tamen spuriæ, non veræ sint.* R. Causæ p. accid. terminus *ita latè quibusdam sumitur, quod non negatur. Eòq; non mirum, si quidam* Philosophi *id significatum sequantur, ut & t. 4. alij allegati sunt. Si accuratè tamen res ipsa indagetur,*

non

non in meris authoritatibus humanis sistatur, nimiùm terminus ita extenditur, & Causa p. acc. potiùs vera Causa sit, etsi ad effectum suum, cujus causa dicitur, non directè & ex propriâ intentione concurrat, sed indirectè ac per aliud, ut rationes & exempla etiam apud Aristotelem *docent,* t. 6. seq. *Et* Philosophi *est, non tàm authoritates, quàm rationum momẽta in disputando quærere & adhibere, ut* Cicero 1. d. nat. Deor. *ait*. Conf. Aristotel. 1. Ethic. c. 4. *Quòd si ab usu recedit authoritas, nulla est, ut* Scaliger L. 8. d Caus. Lat. lin. p. 448. *loquitur. Nullaq́ est authoritas, nisi quam rationes ipsæ Viris ingenio & judicio præstantibus conciliaverint, ut* Taurellus præf in Cæsalp. p. 33. Et L. 3. q. 1. n. 8. *loquitur.* Conf. t. 13. 17.

27. Ita ostensum, *Causam p. a. veram aliquam Causæ speciem esse, ad Causam ut genus analogum aliquod se habere, reverâ ad effectum aliquid conferre, & ex parte causæ accidentaliter se habentis sumendam dicendamq́ esse, non solius effectus. Jam ex istis decidendi ansa sumi poterit de quæsito illo,* An Deum ullà ratione Causam peccati per accidens dicere liceat? *Hoc enim acriter inter* Theologos & Philosophos *controversum. Qui Deum Causam per se peccati dicat, inter hodiernos nemo facilè reperitur. Ex* Reformatis *etsi quidam crassè & periculosè loquantur, hypotheses etiam duriores ac periculosiores foveant, quæ eò deducant, ut* t. 50. 51 *dicetur: Phrasis tamen ista, Deum esse Causam per se peccati, in eorum scriptis non reperitur, ut rectè* J. Martini d. 2. t. 7. Et d. 6. de Caus. pecc. t. 8. *observat.* Valentiniani, Seleuciani, Manichæi, Hermiani, Floriniani, Cerdoniani, Marcionitæ, Gnostici, *olim tale quid delirârunt.* V. Pontanum Catal. hæreticor. *Nostris temporibus ex* Libertinis *eorumq́ hypothesibus hoc deducatur, quorum furor inter alia fuit, Deum authorem peccatorum esse,*

& peccata Caini, Saulis, Judæ, operatum esse, peccatum naturâ sui non esse malum quid, sed tantùm opinione hominum, omnia omnib. licere, quæ libeant, ut de illis Calvinus Instruct. c. Libertin. Bullingerus L. 2. c. Anabapt. Et Petrus Viretus L. 2. d. minist. Verbi *tradunt. Quibus* Davidioristas *jungit* Maresius T. 1. l. 12. n. 8. con. Tirinum, & Uccowalistas, *Anabaptistarum speciem, qui* Cajanorum *hæresin reducant, & Judam, Scribas, ac Sacerdotes prodendo & occidendo Christum benè fecisse blasphement,* n. 9. *Verùm quia furor hic in se impius & blasphemus est, variis Scripturæ dictis, analogiæ fidei, & naturæ Dei, ejus sanctitati, bonitati, justitiæ, rectitudini, potentiæ, veracitati, misericordiæ, clementiæ, multis modis adversus est; & cum ipsa peccati naturâ pugnat, quod formaliter privativum quid, ἀνομία & defectus,* 1. Joh. 3. *Non positivum est, eoq; causam efficientem per se habere non potest, sed tantùm deficientem & per accidens, ut copiosiùs* alibi *deducitur, non est, ut in eo refellendo pluribus elaboretur. Ex* Flacianis, *qui peccatum originale ipsam hominis substantiam ajunt, ut* Flacius p. 2. Clavis, tr. 6. Spangenberg. in rationib. an. 78. editis, Fraxineus in faculà Augustini, notis ad Compend. Heerbrandi, & Flacianismo, *quibus & ex hodiernis* Prætorius d. abusu minister. p. 26. *accedit, simile quid deducatur. Substantiam enim hominis Deum authorem habere certum est.*

28. Ad ipsum quæsitum de Causâ per acc. accedendum, & Num aliquo sensu competenter de Deo dici possit, *disquirendum.* Quidam *affirmant & phrasin usurpant. Ex* Reformatis pleriq; *qui quoquo modo Deum causam mali ajunt, ut* Martyr. in C. 1. & 5. Rom. Et class. 1. L. C. loc. 14. n. 7. 10. 13. 23. & alibi, Gryneus in thesaur. loc. 15. Timplerus L. 2. Meta. c. 9. q. 27. L. 3. c. 2. q. 53. Pareus in Irenico, Colloq. Sual-

Sualbacensi, & Ep. ad Roman. Chamier T. 2. Panstr. L. 3. c. 3. 5. *Vbi Deum peccata velle per acc. ait, ex* Lutheranis Calixtus Epit. Theol. par. Com. p. 2. p. 133. (*Sed qui Epitomen istam non pro suâ agnovisse, nec suo jussu scituq; publicè editam fuisse, dicitur, & cujus locutionem valdè ἄκυρον esse* Durfeldius c. Joh. Crocium p. 2. c. 4. *regerit;*) Meisnerus d. 8. Antrop. q. 4. t. 37. *Vbi legem Causam peccati per accid. ait, unde inferatur, E. & legislatorem C. p. a. peccati esse,* Et d. 9. q. ult. *Vbi & Deum indurare per accidens concedit,* (*quanquam ex prædicato isto nondum sufficienter Causa p. a. deducitur,* t. 25. *Et* idem *aliàs actus mali, quà malus est, nullâ ratione Causam & authorem Deum vocat,* p. 1. Ph. sob. q. Gram. 4. Et prob. 2. Calv. c. 3.) Keslerus quadrig. discurs. q. 4. a. 3. Slevogtius in pervig. de dissens. Th. & Ph. d. 4. s. 2. a. 2. 8. *Vbi ex principiis Philosophicis sequi ait, Deum causam peccati p. a. esse, quòd omnis actio mala à Deo dependeat, saltem remotè & per accidens, Deus etiam ad actum malum concurrat, ac influxum præstet:* Grawerus, *uti quidam eum istius sententiæ faciunt. Quanquam* alii *negant, unquam ejus fuisse, ut* J. Mart. d. 5. d. Caus. pecc. t. 46. *Et ipse* in art. 19. Aug. Conf. *disertè, Si Deus ullâ ratione author peccati esset, ne quidem Deus esset, ait,* p. 110. Et p. 123. *impiissimum affirmare ait, quòd Deus ullo modo peccatum velit.* Et d. 10. qu. illustr. q. 5. t. 13. *Deum nullâ prorsùs voluntate peccatum velle ait.* In d. 9. *Causam mali per se non esse docet, sed per accidens,* t. 16. 25. 26. 27. *Sed Dei inter causas per accidens nulla mentio est, cum tamen de naturâ mali ex professo disputatio tractet.*

29. Balduinum *etiam eò quidam trahunt. Sed alienum ab eâ phrasi fuisse ostendit* J Martini c. l. d. 6. t. 15. 16. *Et ex* Adventu typico t. 1. & in C. 8. Zacchari. aliisq; *ejus scriptis patet.*

tet. Hutterus in L. C. p. 237. Et Irenico c. 28. p. 91. *Quod per se hominibus competat, sæpiùs in sacris Deo tribui ait, sed non nisi per accidens, ut Deo, verbo, miraculis & beneficijs ejus, quòd pervicacium animi magis obrigescant & indurentur. Sed indè nondum satis validè Causa per accid. deducitur.* t. 25. P. 241. *quidem à causis per accidens non valere consequentiam ad effectus ait, sed per se. Subtractionem gratiæ divinæ non esse causam per se peccati, sed peccatum potiùs causam subtractionis, & subtractionem effectum, peccatum autem non effectus, sed defectus rationem in se habere. Sed* & ibi *non dicit, Deum aut subtractionem gratiæ ejus esse tantùm causam peccati per accidens; Sed in totum id omittit, & nec causam per se, nec per a. dicit, sed effectum & consequens potiùs peccati ait. Impossibile autem sit, effectum causam suæ causæ esse.* Et sensus istius Canonis tantùm hic est, à Causis per accidens, h.e. accidentaliter subordinatis, non concluditur de effecto. *Vt, ad generationem filij sequitur furtum & homicidium ab eo commissum. E. & pater generans Causa furti aut homicidij.* Indè *non sequitur denominatio Causæ p. a. ad patrem de furto aut homicidio.* Sophisticè enim filius ut fur Patri subordinatur, cum nullo modo in isto ei subordinatus sit, *& sic nec per se, nec per accidens ejus Causa pater sit, sed solus filius furti causa sit, nō pater. Idem de Deo ad peccatum cogitandum. Actio Dei judicantis est Causa per se subtractionis gratiæ. Sed huic sophisticè per accidens subordinatur peccatum, quia occasionaliter hæc saltem post subtractam gratiam patrantur, etsi illam consequantur.* Multa autem consequi possunt, quorum antecedentia non statim Causæ sunt, t. 38. 41. 55. *Itaq; ab illâ ad hæc non valet connexio, quasi illa Causa per accid. peccatorum esset, quod Sathanas & homo est, non Deus & Dei actus.* Echardus disp. de Causâ per accid.

Et

Et Corollar. d.3. Metaph. *Pleriq; Lutheranorum à phrasi & reipsâ, Deum ullo modo peccati causam esse, abhorrent, ut ex* Apologiâ August. Conf. Luthero, Melanchtone, Chemnitio, & aliis *deducit* J. Martini d. 9. t. 1. seq. V. & Scheiblerum c. 3. Topic. jam t. 12. *citatum*, Finckium p. 1. Sched. q. 27. aliosq;. Confer. t. 36. Ex Pontificiis *phrasi ista utitur* Arriaga d. 10. Phys. n. 50. Vasquetz. d. 129. c. 10. n. 55. *Ubi Deum Causam peccati p. a. remotè facit, quòd impedimenta peccati removeat, quanquam* c. 5. *peccatum nullo modo in Deum authorem referendum ait:* Serarius in c. 7. Jos. q 18. *Quorsùm & illi pertineant, qui Deum peccati causam ajunt, non ut peccatum, sed ut pœna est, de quibus* t. 45. *Communiter tamen reliqui contradicunt, ut* Thomas p. 1. q. 47. a. 2. Et 1. secund. q. 49. a. 1. Valentian. T. 1. d. 1. q. 19 p. 3. Et d. 3 p. 2. q 6. Cumelius T. 1. in Thom. q. 19. a. 9. Tannerus T. 2. Th. Sch. d. 4. q. 9. d. 4. Molina in Concord. d. 31. q. 14. a. 13.

30. Oppositum *veriùs assumitur*, & Deum nec per se, nec per aliud, Causam peccati esse *asseritur*. *Quod* Scripturâ, rationibus, & authoritatibus *probatur*. Scripturâ, *quæ absolutè Deum non volentem peccati ait*, Psal. 5. v. 5. *Quod autem absolutè non vult, ejus Causa ullo modo esse nequit. Nec enim causabit aliquid, quod non antè causare velit.* 2. Quia *peccatum & injustitiam in universum à Deo removet, & prohibere, odisse, abominari, extirpare, punire, omnes agentes improbitatem dicit*, Deut. 7. v. 10. c. 32 v. 4. Psal. 5. v. 5. seq. Psal. 119. v. 137. Prov. 3. v. 11. 15. seq. Esai 65. v. 12. Habac. 1 v. 13. Jac. 1. v. 13. 14 Sirac. 15. v. 11. 12. *Eundem justum, sanctum, summè bonum, & rectum esse dicit*, Lev. 11. v. 44. c. 19. v. 2. c. 20. v. 7. 8 Josu. 24. v. 19. 1. Sam. 2. v 2. c. 6. v. 20. Psal. 22. v. 4. Psal. 145 v. 17. Nehem. 9. v. 33. Dan 4. v. 34. c. 9. v. 7. Sophon. 3. v. 5.

Luc.

Luc. 1. v. 49. Rom. 3. v. 5. Matth. 19. v. 17. Marc. 10. v. 18. Luc. 18. v. 19. 1. Petr. 1. v. 16. *At tale quid injustitiæ author vel per se vel per acc. esse non potest.* 3. Quia *peccatum facientem à Diabolo esse ait*, 1. Joh. 3. v 8. *Non Deo. E. peccatum ad illum referendum erit, non Deum. Deus autem seipsum negare non potest*, 2. Tim. 2. v. 18. *Negaret autem, si mali causa esse inciperet, qui ipsa sanctitas & justitia essentialis est, & esse solet.*

31. Rationibus. I. Quia *omnis Causa p. a. vera Causa est, verè agit & in effectum influit, & effectus verè illi adscribitur, etsi indirectè & per aliud*, t. 6. 7. seq. *At Deus non est vera peccati causa, quia oppositi causa est, boni & justi, nec in ipsum peccatum, ut tale formaliter est, influit, nam defectus & privativum quid est, quod esse tollit, non ponit, eoq; ad id influere aliquid non potest, ut* post *patebit, nec peccatum verè Deo adscribi potest, cum oppositum ejus, justum & rectum, ei adscribatur, nec per aliud aut p. a. Causa mali dici potest, cum essentialis ac originalis sanctitas ac justitia sit, cui oppositum ejus, injustitia, nullo modo aut limitatione, quippe verè contradictorium ejus, competere potest.* II. Quia vel reducenda erit ista Causa p. acc. *peccati ad causam per se, vel non erit.* Si prius, *quænam illa in peccato erit? Et essentialiter ac naturâ sui malum aliquod esse oportebit, quod origo omnis mali sit, quod* Manichæum, Marcioniticum, Gnosticum, & Cerdonicum *delirium est*, t. 27. *Et peccatum non habet aliam Causam, nisi per accidens, defectum nempè & aberrationem causæ operantis. Sic homo peccatum in sobolem propagat, sed generatione privativâ, corruptivâ, & defectivâ, non activâ, effectivâ, & perfectivâ. Causa enim ut causa & agens, aliquod ens esse cogitur. Ens autem & bonum in* Metaphysicis *convertuntur. Omne ergò bonum per se agere & producere bonum necesse est. Si ergò simul per illam productionem*

malum

malum ex eâ proveniat, hoc per accidens fieri oportet. Sic in actione malum producitur ob defectum alicujus principii illius actionis, principalis vel instrumentalis. *Sic in motu animalis defectus est* vel *ex debilitate virtutis motivæ, ut in infantibus,* vel *ineptitudine instrumenti, ut in claudis,* vel *materiâ indispositâ, ut cum ex ligno carioso ruinosa domus paratur. Sic inordinatio peccati cum privatio sit ejus, quod naturâ esse & haberi debet, cum causa impediens est, quò minùs sit & habeatur, hinc causam deficientem vel efficientem per accidens habere dicitur.*

32. Ex parte formalis sui, *inordinationis, per accidens, ex parte actus & materialis Causam per se habet, ipsum agens. Sic voluntas carens directione regulæ rationis & legis divinæ causat actum peccati per se, inordinationem actus per accidens, ex defectu directionis in voluntate. At talis reductio ad Deum nullâ ratione fieri potest, qui in agendo nequit deficere. Nam causa per se, ad quam Causa per accidens reduci debet, necesse est, ut sit ens non absolutè perfectum, aut omninò defectum aliquem in se habeat. Nam peccatum fit ex defectu agentis. At Deus causa infinita* & absolutè perfecta est; *quam nihil impedire potest, ut ejus actioni defectus injiciatur. Homo autem & causa secunda in agendo deficere potest, eoq; jam peccatum reduci debet. Et hæc Causa peccans causæ efficienti divinæ, quà peccat, non subordinatur, Non enim hæc in defectionem moraliter aberrantem, sed tantùm in effectionem influit.* Si non reducenda est ad Causam per se, *sed in Causâ per accidens sistendum, nec Deus causa per accid. ejus erit. Nullius enim rei Causa p. a. ille esse potest, non enim principium ille est defectum ullum in se habens, nec in agendo aut operando deficere potest, cùm perfectissimum & omnipotens agens sit, nec inordinationem*

aliquam committere potest, cum essentialiter ac primum sanctum justumque sit, t. 33. *Nec ullius operationis Causa instrumentalis esse potest, semper principalis est, ut Causa prima & independens: Minùs instrumentum deficiens esse potest:* Nec *ex ejus operatione malum ullo modo esse potest, cum virtus & actio ejus absolutè bona & perfecta sit, eoque simpliciter ad bonum determinetur, nullâ ratione ex ejus actione boni contrarium, malum morale, consequi aut fluere potest. Id enim non perfectionem virtutis & actionis, sed imperfectionem & defectum sequitur. Permittit Deus mala, ut indè eliciat bona: Sed non facit mala, ut indè sequantur bona, nec bona, ut inde mala.*

33. III. Quia primum, essentiale, & independens sanctum, justum, & bonum, *quod essentialiter & originaliter ipsa bonitas, justitia, & sanctitas immutabilis est, mali ac injustitiæ author, fautor, promotor, impulsor, Causa, aut approbator nullo modo esse potest, Perinde ac nec primum lucidorum, ut Sol, Causa tenebrarum, primum frigidum caloris causa esse potest, Etsi provisor, animadversor, prohibitor, osor, director, ultor, & punitor injusti esse possit, Prout* in Intelligentiâ *inter prima principia docetur. Sed Deus est ipsa prima, essentialis, & independens sanctitas ac justitia, ut in* Theol. *docetur, &* t. 30. *patuit, normaque ac idea omnis boni & sancti in rebus creatis. E. mali causa nullo modo esse potest,* nec *directè, ut Causa per se,* nec *indirectè, ut Causa per accid.* Nec *principalis* nec *instrumentalis,* nec *naturalis* nec *moralis, nec univoca nec æquivoca, procreans aut conservans, naturalis aut voluntaria, solitaria aut socia, &c.* IV. Si Deus Causa peccati per accidens, *aut Physica, aut moralis erit.* Non Physica, *non enim Physicè in peccatum influi potest, cum privatio & defectus boni inesse debiti sit,* t. 31. 32. *Et homo Causa ejus Physica per accidens &*

defe-

defectum, cum à justâ normâ deflectit, est, non Deus, t. 32. Non moralis, *sic enim incitaret, svaderet, impelleret, consuleret, instigaret p. acc. ad peccandum, ut quidam Reformatorum interdùm loquuntur.* V. t. 51. *Quod blasphemum, cum prohibeat, dissvadeat, moraliter legem ferendo impediat illud, vindicet, & puniat, & ut abominabile quid aboleat ac execretur*, t. 30. *Et voluntatem aliquam occultam revelatæ in Verbo oppositam, quà Deus occultè velit, instiget, moveat, flectat ad peccandum, ut occulta sua judicia impleat, hic comminisci profanum est, cum de occulto Deo hactenùs nihil solidi sciamus, sed quicquid in his scibilibus noscimus, ex revelatione Verbi haurire teneamur, ut benè* Lutherus L. d. servo arbitrio, & Comment. in C. 26. Gen. *Et qualiter in Verbo Deus se nobis repræsentavit, taliter, & non aliter à nobis est apprehendendus, nisi erronea & aliena nostra apprehensio esse debeat, ut* pluribus in Theologicis *doceri solet.*

34. V. Quia omnis *Causa per acc. est ens per acc. vel ex actu & defectu, ut in peccantibus, vel ex actu & accessorio ac præter institutum adjecto conflatum, vel ex subjecto & accidente compositum, ut album, Musicum ædificans, fossor thesaurum in fodiendo inveniens, ut* t. 6. 7. seq. *patuit. Sed Deus nullo respectu Ens p. ac. fieri potest, Hoc enim compositum accidentale facit. Sed Deus absolutè simplex est, & compositionem nec Metaphysicam, nec Logicam, nec Physicam, nec ullius alterius modi admittit.* V. Michaël. t. 13. *Et dividendo ens* in Metaphysicis in simplex & compositum, *Omnes sub simplici Deum comprehendunt, nullus sub compositum redigit, nec attributa, subsistentiæ, & personalitates, aut operationes Dei internæ vel externæ quidquam compositionis in eo important, ut in* Pneumaticis *pluribus docetur. E. nec Causa p. a. esse potest.*

Dices: Accidentaliter, *h. e. contingenter & liberè aliquid de Deo prædicari potest, ut quòd sit Creator Mundi, Conservator, Provisor, gubernator, redemptor, quæ non sunt essentia aut quidditas Dei, sed aliquid ultra & præter eam, quod in genere accidens prædicabile, contingens, & liberum vocare solemus, & ab aliis vocatur, ut* Grauvero d. 1. qu. illust. q. 9. Et p. 1. in Aug. Conf. a. 1. t. 7. p. 173. 178. R. 1. Non jam quæritur, *an per accidens aliquid de Deo prædicari possit, sed an ens per accidens fieri possit, quod necesse est, si Causa per accidens alicujus fiat. Ens autem & Causam esse longè plus importat, quàm nudum prædicari.* 2. Nec Grauverus c. l. *accidens prædicabile de Deo dici affirmat, sed quod per operationem Dei ad extra de Deo affirmatur, ut creatorem mundi esse, aut relationem ad subjectum externam involvit, id prædicando illi tribui dicit. Sic Iste architectus hoc templum struxit, Ille scriniarius hanc mensam confecit, bibliopegus hunc librum compegit. A talibus externis Deum quoquo modo denominari dicit, non isto quinto prædicabilis præcisè modò, sed ut externum quid de Deo dictum.* In Aug. Confess. c. l. *in Deum accidens externum cadere dicit, h. e. accidens extern. de Deo prædicari posse. Vbi accidens actionem foris extra Deum terminatam dicit, & expressè negat de Deo ut accidens de subjecto dici, sed ut effectum de suâ Causâ,* p. 178. *Et hoc effectivè prædicari vocari addit,* p. 173. 3. Creatio, conservatio, gubernatio, *postquam facta sunt & fiunt, non contingenter, sed* necessariò velut propria aliqua soli essentiali Deo competentia de Deo dicuntur, quibus ab omnibus aliis idolis, fictis numinibus aut Diis nuncupatis in sacris distingvitur, *& quæ de ipso solo in illis asseruntur, ut* Natalitiis t. 13. *docui, Ac quæ de nullo alio dici possunt. Secus si per accidens de Deo dicerentur,*

Deus

Deus non per se Causa prima Creationis, conservationis, esset, sed per accidens, quod absurdum & naturæ Dei adversum: Nec abesse aut adesse hoc prædicatum potest stante subjecto Logicè, ut accidens Logicum prædicabile *solet, sed si negetur, simul Deum verum & essentialem esse negatur, quia effectus omnipotentiæ reverâ illi soli & nulli alij competens, de eo negatur. Solus enim verus Deus omnipotens, indeq; Creator cœli & terræ est. Ex adverso, qui cœli & terræ Creator non est, nec omnipotens, nec essentialis Deus est.* 6. Quia si Deus Causa per accid. peccati, aut *ut per accidens indifferens,* aut *ut aliquo modo ad id determinatum est, Tot enim modi in aliquo per accidens inter alia sunt,* t. 8. *Sed neutro modo est Causa per acc.* Non priore, *sic enim ad peccatum causandum aut non causandum in sese & naturâ sui verè indifferens esset, & tàm posset causare illud, quàm non causare, vel oppositum ejus causare, Quomodo Sol æquè emollit ac indurat. At hoc blasphemum est, Quia prima & essentialis sanctitas est, quæ ex perfectione naturæ suæ non potest nisi benè agere,* t 33. *Quomodo angeli boni in bono confirmati non possunt nisi bona agere,* V. Michaël. t. 59. 60. *Multò magis Deus, prima & originalis sanctitas ac justitia.* Nec posteriore, *quia ex perfectione naturæ suæ ad oppositum peccati, justitiam & sanctitatem, est determinatus, ut iniquitatem nec velle, nec ferre, multò minùs per se aut per accid. efficere vel procurare posit. Abominatio enim illi impius, & opus ejus est,* t. 30. *E. planè non Causa peccati per accidens est.*

35. VII. Quia modus loquendi scandalosus & *periculosus est, Deum peccati Causam p. a. esse, & facilè* Libertinis, Gnosticis, Manichæis, *& crassioribus* è Reformatis *ansam suppeditare potest, ut in erroribus suis confirmentur ac perseve-*

rent,

rent, *cujus* Oppositum potiùs in Ecclesiâ Christianâ *semper observatum fuit*, *ut & sanæ ac probæ phrases interdùm evitatæ fuerint*, *quòd per abusum hæreticorum detorquerentur. Sic antè* Eutychem *Carnem Cristi Deificatam dixerunt. Sed post eum desierunt*, *aut minùs frequenter usurpârunt. Sic* Lutherani *quidam Causas socias Creationis de personis in Deo dixerunt. Sed ubi Reformatos ad se id rapere viderunt*, *abstinuerunt*, *ut* præf. d. Notit. natur. *memini. Deitatem passam olim dictum. Humanitatem verbum*, *& verbum humanitatem esse quidam dixerunt. Sed ob* Monotheletas, Theopaschitas, & Eutychianos *desitum. Prædicationes Sacramentales & personales accidentales dixerunt. Sed ubi ad parastasim aut relativam*, *scheticam*, *symbolicam*, *& repræsentativam unionem ac præsentiam Reformatos id torquere visum*, *cessatum*, *& paronymicas eminentes in abstractione Entis formatas ac procedentes esse dictum est.* V. Tract. d. mod. prædican. f. 1. t. 32. *Carnem Christi infinitè subsistere quidam dixerunt. Sed ob detorsiones* Eutychianas *cessatum*, *& in infinitâ hypostasi eam subsistere dictum est. Sic Deus trahit*, *sed volentem*, *Voluntas hominis in conversione actuosa*, *non otiosa est*, *quondam dictum. Post certamina* Pelagiana, Semipelagiana, & Synergistica, *cum erroneè detorquerentur ista*, *cessatum ab illis. Ita bona opera ad salutem esse necessaria olim dictum. Sed ob abusus* Pontificiorum, Photinianorum, Svencfeldianorum, Weigelianorum, Pharisæorum & Operariorum, *Qui Causas instrumentales aut sine quibus non salutis inde dixerunt*, *omissum. Sic filius factus est Caro*, *E. factus est creatura*, *consequentia in Philosophicis facilè obtineret. Sed in Theologicis & mysticis eam non tolerandam esse* Lutherus T. I. Jenens. disp. t. 23. *scripsit. Si ex legitimis*

timis concessis ac præmissis eam deduci regeras, t. 37. seq. *In solutione objectionum non ita esse patebit.*

36. *Authoritatibus* Theologorum & Philosophorum *idem probari potest.* Theologorum partìm Patrum, ut Dionysij Areopagitæ, Justini, Irenæi, Basilii, Augustini, Damasceni *aliorumq́*, *quas* J. Martini d. 1. & 2. de Caus. pecc. & d. 9. Colleg. Novi t. 7. Et Hutterus p. 234. L. C. Gerhardus L. C. d. provid. t. 110. aliiq; *allegant.* *Sic* Eusebius l. 5. c. 18. Florinum *quendam anathemate percussum sub an. 170. aut 180. refert, quòd Deum mala effectivè velle diceret*, & Irenæus *Valentinianos hæresios postulat, quòd impiorum facta Dei opera necessitate illis imposita senserint*, L. 4. c. hær. c. 47. 48. Partìm Pontificiorum, *ut* Thomæ, Valentiani, Cumelij, Tanneri, Molinæ, V. t. 29. Partìm Lutheranorum, *ut* Lutheri, Melanchtonis, Chemnitii, Hunnii, Brentii, Hoei, Rungii, Heshusii, Meisneri, *quorum testimonia adducit* J. Martini d. 8. & 9. d. Caus. peccati. Graweri *sententiam & prolixam deductionem, quòd Deus nullius peccati causa sit, in* p. 7. A. Conf. a. 19. *reperire possis.* Affelmanni *authoritas ex* disp. de peccato c. 13. *patet, Ubi negat, Deum peccati causam per acc. esse, quòd sub nullâ specie ejus, casu aut fortunâ, contineatur.* Hutteri ex L. C. p. 234. seq. Philosophorum partìm gentilium, ut Platonis L. 2. d. Rep. Et L. d. legib. Homeri Odyss. ξ. Euripidis, *qui si Dij aliquid turpe faciant, non esse Deos dixit*, Plutarchi, Senecæ, aliorumq; *quos citat* Jac. Martini L. 2. ex. Ex. 5. t. 5. Lipsius L. 2. d. Constan. c. 6. Partìm Christianorum, *ut* Gutkij Synops. Logic. p. 687. *Ubi in Sanctißima veritatis principia impingere ait, qui Deum iniquitatem non volentem Causam peccati per accidens faciunt, quod postea multis probat.* *Similia* par. 2. Intelligent. c. 6. t. 4. habet. Finckii d.

Syllog.

Syllog. c.2. p.254. Et P.1. Sched.27. Kesleri in quadrig. discurs. d. 4. s. 2. a. 3. *Ubi Causa per accid. vera efficiens sit & in effectum influat, Deum non esse peccati Causam p. acc. ait. Hoc loco autem Causam peccati p. a. ita accipi* t. 6. 7. *patuit.* Clotzij in Sylloge de attributis divinis, q.27. *Ubi ad Causam per accid. requiri influxum dare indirectum & eventualem, præter intentionem agere, & in agendo deficere ait, quæ absurdè de Deo dicantur.* Et d. 6. Pneumat. t. 49. *Ubi Deum nec per accidens peccatum velle, aut causam ejus esse posse ait. Similia* Recentiorum quidam c. 6. Meta. t. 7. *aliiq; habent.*

37. *Ita* rationibus & authoritatibus *ostensum, Deum causam peccati per accidens dici nec Philosophicè, nec Theologicè posse. Quæ alij hic rationum adducunt, velut si Deus Causa peccati per a. foret, casu vel fortunâ ageret, ut* Finckius, Affelman. aliiq; *non probo. Casus enim & fortuna species agentis per accidens naturalis & Physici sunt, eoq; & in Physicis ab* Arist. *adducta & explicata. Deus autem, si agens per accidens in aliquo esset, ultra & supra naturam, eminens & supernaturale agens esset, eoq; & supra casum ac fortunam elevatus, itaq; per accidens transcendenter ageret, non ut agens Physicum aut in Naturæ circo, quem* Arist. *in Physicis descripsit, conclusum. Quomodo & ens ac Causa per accidens in* Metaph. *sumuntur transcendenter, ut ad ultranaturalia etiam spargantur, non naturæ circulo, quem Physica tradit, præcisè constringantur. In Physicis de causis traditur, sed naturalibus & corporis naturalis, non ultrà. Eoq; & casus ac fortuna de corporis in naturâ casu sunt accipienda, non ultrà.* Causæ *quidem terminus* Metaphysicus *& transcendens est, eoq; & species ejus, per se & per aliud, tales. Sed casum & fortunam propriè in Physicis tantùm agentibus agnoscimus, & Causas Physicas ibi explicamus.*

COROLLARIA
De
Ontologiâ ſeu Metaphyſicâ.

AN inter disciplinas Philoſophicas diſtinctus & peculiaris habitus dandus, qvi ens ut Ens explicet, qvi *Metaphyſica* vocatur, illeq́ à Theologiâ, Phyſicâ, & Logicâ realiter diſtinctus ſit, an magnam partem ad Logicam pertineat, ut *Ramei* volunt, vel congeries omnium disciplinarum ſit, ut *Ant: Mirandulanus* voluit? Prius Aff.

2. An rectius Ontologia, an Metaphyſica ille vocetur? D.

3. An per ſapientiam, ut genus, ut *I. Martini*, *Scharfius*, *Alſtedius*, An Scientiam, ut *Scheiblerus*, *Finckius*, *Keckermannus*, An artem, ut *Timplerus*, an per peculiarem habitum ſextum definiendus, ut *Clotzius* vult? Prim. Aff.

4. An objectum eius adæqvatum ens ut ens cum *Ariſtotele* ſit, an aliud qvid cum *Timplero*, *Scholaſticis*, aliisq́ ponendum? Prius Aff.

5. An rectè in *generalem & ſpecialem* dividatur, an de ſpiritibus & transcendentibus, & ſummis generibus, & an doctrina de Spiritu ad *Metaph.* objectum pertineat? Primum Aff. Poſteriora negantur.

6. An eius in Theologicis aliqva utilitas ſit? Aff.

7. An ens *generaliſſimum & primum cognitum* ſit, conceptum unum ac diſtinctum, & realia attributa habeat, qvibus à poſteriore concipiatur, determinetur, & ultrà reverá repræſentetur, qvæ à parte rei ipſum ens & eſſentia ſint, ratione tamen, diſtincto formali, & conceptualiter tantùm ab eo differant? Aff.

8. *An attributa Entis rectè in unita & disjuncta* dividantur, & inter *unita* perfectũ, unum, verum, bonum, ubicatum, & durans referantur, *disjuncta vel primaria*, ut neceſſe & contingens, independens & dependens, increatum & creatum, actus & potentia, principium & principiatum, Cauſa & cauſatum, completum & incompletum, Idem & diverſum, naturale & non naturale,

turale, infinitum & finitum, permanens & succesſivum, circumſcriptum & incircumſcriptum, *vel ſecundaria*, & hæc *vel* magis univoca, ut abſolutum & reſpectivum, ſubjectum & adjunctum, ſignum & ſignatum; Imago & exemplar, Menſura & menſuratum, *vel magis analoga* dicantur, ut reale & rationis, poſitivum & negativum, actu & poteſtate, incomplexum & complexum, ſingulare & univerſale, & ſimilia? Aff.

9. An exacta horum terminorum explicatio & ultima formalitas *à ſolâ Metaphyſicâ* exſpectanda, à nullâ alia disciplinâ haurienda ſit? Aff.

10. An varia & latisſima talium terminorum acceptio ſit, & accuratè à *Metaphyſico* deſcriptio eorum elaboranda ſit, ne nimis ſtricta aut lata ſit, ſed prorsùs adæqvata, & proindè ens totum planè exhauriant, nihil eius omittant, ſed juſtè in abſtractione entis à creato ac increato, finito ac infinito, procedant? Aff.

11. An *in naturâ rerum & Creatis tantùm* locum habeant, an & qvidam ſupra naturam in increatis procedere, eoq; myſteriis fidei applicari posſint? Aff.

12. An ens rationis, complexum, per accidens, univerſale, *æqvivocè* tantùm ens ſint, an potius *analogicè* de ente participare dicantur? Poſt. Aff. *V. t.* 10. 21. *Tract. hujus.*

13. An pro ente per accidens meliùs *per aliud* dicatur, ut & Chriſtus comprehendatur, & pro artificiali rectiùs *non naturale*, ut & notio ſecunda, & ſupernaturalia, & monſtroſa, defectuoſa, eò referantur? Aff.

14. An *verum à* proprio & tropico, notionali & reali, abſtrahere, & in utroq; esſe posſit? Aff. Sic Chriſtus vera lux, *Ioh.* 1. Vera vitis, *C.* 15. Verus panis de Cœlo, *C.* 6. Cælum verum tabernaculum, *Heb.* 8. *v.* 2. Tamen tropicè dicta. Aff.

15. An ens juſtè ut in ſpecies inferiores analogicas *in ſubſtantiam & accidens* dividatur, & ſatis hæc omnes exhauriant, eoq; ſub ente, ut inferiora contenta, omnia reduci qveant? Aff.

16. An accidentis diviſio in 9. genera adæqvata ſit, omnesq; ſpecies exhauriat? Aff.

D. O. M. A.

De

CAUSA PER accidens,

EXERCITATIO IV.

Rationes, qvibus Deus Causa peccati per accidens dici statuitur, exhibens.

QVAM

PRÆSIDE

HENRICO NICOLAI,

Phil. Profess. Publ.

Placidæ ventilationi subjicit

SAMUEL BALTHASARIS,

Hernstadiens. Silesius.

In Gymnasio Gedanensi.

Ad diem Martij.

Horis locoq; destinatis.

Typis Viduæ GEORGII RHETII.

ANNO M. DC. L,

De Rationibus pro Deo peccati Causâ per accidens.

XXXVII.

Sic cum Deus scelera ad fines patrantibus prorsùs per accidens, de quibus illi nunquam cogitârunt, dirigit, ut venditionem Josephi, furorem Assyrij, Pharaonis, Nebucadnezaris, proditionem & occisionem Christi, actus eminens & divinus ex æterno consilio profectus est, omni casu ac fortunâ superior, quod & emphaticis loquendi modis Scriptura insinuat, cum Dei consilium hic agnoscit. V.t.37.38.

37. Restant jam videnda argumenta, *quibus, cum causa peccati per acc. in Deo asseritur, probari in speciem id posse videatur.* Dices I. Cum cujus effecto *per se concurrit accidentaliter peccatum, id peccati Causa per accidens dici potest. Sic enim Causa p. a. multis definitur, cum cujus effectu aliud accidentaliter conjungitur. Sed cum effectu Dei per se, conservatione naturæ & voluntatis humanæ, & influxu ad actum ac materiale peccati, concurrit defectus ac ἀταξία, peccati formale, per accidens. E. Deus Causa per accidens defectus dici potest.* R. Major & definitio Causæ per accid. falsa est, *quæ non ex effectu fortuitò cum effecto per se concurrente, sed ex ratione causandi ad effectum per se aut per aliud, directè & ex intento, aut indirectè & ex eventu, sumenda est, ut* t. 13. 14. seq. *visum. Sic Deus influit & conservat naturam. Cum hoc effectu in homine concurrit aberrare, exorbitare, delirare, peccare. Nec ob id aberrationis & exorbitationis Deus Causa per accidens est. Sed homo,* t. 31. *Sic qui lapidem supernè dejicit, & casu præter-*

euntem vulnerat, Causa per accidens vulneris dicitur, quia influxum ad id præbuit. V. t. 7. 8. *Sed non Deus ad formale & defectum peccati,* t. 31. *Cum Naturâ, actu, & entitate ejus non ut Causa per accidens, sed per se concurrit. Cum deformitate & obliquitate ejus nec ut per se, nec ut per accid. sed prorsùs non, nisi aliquid perversitatis in ipsâ Dei naturâ hæreret, per quam in defectum hominis influeret, quod blasphemum. Nec præter vitiosum effectum hominis alius vitio carens est, cujus ratione Deus causa per accid. vitiosi effectus dici possit, sed tantùm hominis, qui à Deo & homine habet, quòd sit actus, ab homine autem & Causâ secundâ tantùm, quòd vitiosus sit. Est enim ens cum defectu & peccato, eoq; per naturam suam aliter agere nequit, quàm cum defectu & vitio in effectum influere. Inde vitiosus effectus secundæ & particularis Causæ defectum sequitur. Sic cum effecto patris per se, filio, conjungitur postea per accidens furtum, homicidium, adulterium, nec tamen pater ob id Causa p. a. furti, homicidij, adulterij filij dicitur, sed prorsù non Causa illorum est, sed Causam ista in solo filio agnoscunt.* V. t. 14. 15. seq.

38. II. Absentia gubernatoris est Causa per accid. *submersionis in nave,* V. t. 19. *E. & Dei desertio ac gratiæ subtractio homini Causa p. a. exorbitationis in illo dici potest. Nisi enim desereret, à peccato homo præservari potuisset.* R. Antecedens falsum est, *nec ab* Arist. *dictum est.* V. c. l. *Si gubernator malitiosè absit, cum ex officio adesse debeat, non per accidens, sed per se Causa submersionis est, ut Medicus malitiosè ægrum deserens,* c. l. *Sed Deus deserit, non ex malitiâ, nec quòd ex officio adesse cogatur, sed priùs ab homine desertus, & ex justo judicio. In quo Dei cum nautâ ingens diversitas est, & consequenter comparatio tota exspirat.* V. cit. loc. Et t. 56.

III. Deus removet id, *quod peccata impedit, nam Spiritum S. ab hominibus tollit, qui eos in bono regit, & à malo abstrahit. At qui prohibens removet, Causa p. a. secuturi est,* Arist. 8. Phys. t. 32. V. t. 17. *E. & Deus peccati.* R. Qui removet prohibens *ex destinato & voluntariè, non per a. sed per se Causa est secuturi lapsus, ut Simson columnas domus subvertens: Qui ignorans & præter intentionem, p. a. sed vera tamen Causa & influens in effectum est, ut qui casu hominem occidit, verè occidit,* t. 7. 8. 17. *Hoc modo Deus vera Causa vereq́ influens peccati statuetur, quod dissentientes tamen nolunt. Et ignorantia, imprudentia, & imbecillitas hoc modo Deo tribuetur, quod etiam blasphemum. Nec Deus per prius & gratiam Sp. S. removet, ut ita hominem labi necesse sit, nec Adamo adhuc integro gratiam resecuit, sed per posterius, gravib. peccatis ab homine irritatus, qui illis Sp. S. à se expulit,* V. Ezech. 3. v. 20. 21. Esai. 5. v. 5. Prov. 1. v. 24. seq. Roman. 1. v. 26. *Et alibi. Et cui in pœnam Sp. S. ademptio irrogatur, ut peccata Causæ desertionis, non desertio Causa peccatorum sit, sed propria hominis malitia & peccandi habitus continuatorum ac sequentium peccatorum Causa sit.*

39. IV. Deus differt pœnam peccatis *debitam aut tollit, & sic homines peccata securè continuare facit. Sic Pharao demptâ pœnâ ultrà se induravit,* Exod. 8. v. 15. 32. C. 9. v. 34. Conf. Roman. 2. v. 4. 5. Cap. 9. v. 22. Sap. 12. v. 20. *At qui tale quid agit, Causa peccati p. a. dici potest.* R. Negatur Conseq. *Perinde ac nec Pater contumacis filij pœnam differens, ut se emendet, Causa contumaciæ ejus p. a. est, sed filius contumax occasionem contumaciæ ex longanimitate patris per accidens rapit, quod longè aliud est. Qui ex somnolentiâ, incuriâ, negligentiâ & conniventiâ pœnas differt, peccatis indulget,*

dulget, non vindicat, cum deberet, ut malus Magistratus quandoq́, is demùm peccatorum Causa per accidens est. Deus autem non ita, sed ut pœnitentiam hominis eliciat, 2. Petr. 3. v. 8. 9. *Impij inde occasionem peccandi p. a. arripiunt, lenitate Dei longè aliud intendente pertinaciter abutuntur, & sic Causæ peccatorum suorum sunt.* V. Deus metas præfigit *& dirigit peccata in bonum finem. E. Causa pecc. p. a.* R. Negatur Consequentia. *Non Causa peccati, quod ex suis Causis, homine ejusq; malitiâ fluit:* Sed provisor, director, & ultor *Deus hinc efficitur, & quidem per se, cum hæc omnia bona sint, eoq́ inde denominari justè potest. Primò Deus bona dirigere vult: Secundò & consequenter mala, quæ per accidens operationibus Dei subjiciuntur, quia per a. ab homine patrantur. Sed directio eorum à Deo per se est.*

40. VI. Ex quo alius occasionem *peccandi per accidens rapit, Id Causa peccandi per a. dici potest. Sed ex Dei patientiâ, longanimitate, & pœnæ ablatione aut mitigatione homo occasionem peccandi rapit. E. longanimitas & mitigatio Dei Causa p. a. peccati dici possunt.* R. Negatur Consequentia Majoris. *Nam ex bonis legibus occasionem transgrediendi rapiunt pertinaces transgressores, nec ob id bonæ leges aut Magistratus est Causa p. a. transgressionum, quippè qui per leges eas prohibet, & commissas vindicat, non promovet aut cupit. Sic ex lege peccator occasionem transgrediendi rapit, & lex irritavit peccatum, ac quod in bonum datum, per accidens vitio hominis cessit raptumq́ est in malum,* Rom. 7. v. 5. 8. 10. seq. *Nec ob id lex Causa peccati p. a. Sed occasio tantùm ab homine vitioso per accidens ad peccandum inde rapta est. Sic ex miraculis Dei Pharao occasionem se indurandi, & populum violenter retinendi rapuit,* c. 39. *Quæ Deus ad emolliendum & retra-*

retrahendum eum suggessit. Sic ex successibus Nebucadnezar superbè se extulit, Dan. 4. v. 22. *Quos Deus ad potentiam & benignitatem suam agnoscendam indulsit*, v. 22. 23. 34. *Occasio superbiendi & se indurandi ex successibus per accidens rapta ab hominibus fuit, non Deus eorum Causa per a. extitit.* V. t. 41. *Ita sæpè ex eventu in Sacris aliquid dicitur, quorsùm à Deo occasio propriè non data.* Johan. 9. v. 39. Cap. 12. v. 38. VII. Deus permittit peccata, *cum inhibere posset, & ut ipsa essentialis sanctitas deberet. E. Causa p. a. dici potest.* R. Negatur Conseq. *Non Magistratus inde Causa p. a. transgressionum dicitur, quòd vi eas non impediat, quod posset, cum id facere non teneatur. Et* permissio alia est licentia & concessio faciendi, *hæc Causam facit, ut si Magistratus licentiam liberè bacchandi, heluandi, scortandi, per Bacchanalia concedat:* Alia tolerantia facti, *non violenta amotio, hæc Causam peccati non facit. Hæc autem in Deo tantùm, non illa est, non enim licentiam delinquendi dat, sed prohibet*, Sirac. 15. v. 11. 21. *Et ab homine sumptam ac occupatam severè punit*, 2. Reg. 17. v. 7. 8. seq. *Permittit peccata non concedendo, sed non obsistendo & tolerando. Et essentialis sanctitas peccata inhibere debet, sed moraliter & legibus, quod Deus sufficienter fecit legem ferendo, comminando, prohibendo, puniendo, non violenter & armatâ vi ac coactione, quod nec Deus, nec pius Magistratus facere tenetur.*

41. VIII. Deus succesſus interdum addit peccatoribus *in peccatis, unde ad magis peccandum incitantur, roborantur, & in eo pergunt. E. Causa talium peccatorum p. acc. dici potest.* R. Negatur Consequentia. *Deus successus addit, non ut impij peccando animentur, sed ut patientiam Dei ipsos ad pœnitendum invitantis agnoscant, & desistant, quod illi per accid. in occasionem*

nem magis peccandi rapiunt & convertunt, quo Deus in Causæ societatem pertrahi non potest, cum aliud sit, per accidens occasionem aliundè ad aliquid rapere, & causam alicujus per acc. esse & vocari. Ex legibus vestiarijs ac sumptuarijs luxuriosi ac prodigi luxuriandi ansam rapiunt, nec lex aut Magistratus Causa ejus per accid. est, qui avertere talia intendit, non animare.
V. t. 40. IX. Lex est Causa peccati p. accid. Rom. 7. v. 5. 8. 10. seq. *Et concedit* Meisnerus, V. t. 28. *E. & legislator, qui Deus. R.* Antecedens falsum est, *nec* Rom. 7. *scriptum est. Peccatum occasionem accepit vel rapuit per mandatum ad operandum omnem concupiscentiam, ibi dicitur* v. 8. 11. *Et sic eventualiter aliquid assignatur: Non autem lex Causa concupiscentiæ p. accid. vocatur. Occasionem autem per accid. rapere aliquis ex eo potest, quòd prorsùs contrarium intendit, & oppositi causa esse debuit. Ut pervicaces ex bonis legibus occasiones transgrediendi, ex Dei longanimitate & quotidianis beneficiis impij se pervertendi, ex Christi miraculis calumniandi & blasphemandi Pharisæi & scribæ, ex verbo prædicato convitiandi & contradicendi occasionem impij Judæi,* Act. 13. v. 45. c. 18 v. 6. *rapuerunt,* quæ nec per se, nec per accid. Causæ ad ista fuerunt. *Sic ex primâ lege de fructu non comedendo & fructus jucunditate occasio irritandæ concupiscentiæ rapta,* Gen. 3. v. 6. *Non tamen lex aut fructus Causa eò ullo modo fuit, quæ ad contraria inclinare debuerunt; sed totum hoc à Sathanæ persvasione & mulieris consensione velut à causâ ortum habuit. Sæpè ex optimis occasio impiis rapitur ad scelestissima, nitimur enim in vetitum semper, cupimusq; negata.* Meisnerus c. l. *Causam p. accid. generalissimo sensu dicit, unde qualicunq; modo occasio & ansa ad aliquid rapitur, non strictè, ut ad aliquid influit, quod hoc loco Causa etiam per a. est. Nec lex, ut à Deo pendet, ejusq; æterna justitiæ*

in mente Dei norma est, sed ut hominibus revelata ac promulgata est, quâ illi abusi sunt eiq́; repugnârunt, ut per a. objectum, contra quod peccatur, factū est, cum ex se mediū non peccandi esse debeat, sic dicitur. Hoc autē in Deū ut causam per accidens non potest reduci, cum à libero & malo hominis arbitrio legi obedientiam negante sit, *Quod legislatori per accidens tribui non debet. Occasio autem per accidens ad peccandum rapta vitio hominis ex lege dici potest, non lex Causa ullo modo ad illud.*

Dices: Qui movet, suadet, *impellit, vetat, jubet, Causa moralis per se est. E. qui suadet, jubet, incitat, unde oppositum consequitur, Causa moralis per a. dici potest. Hoc autem lex respectu peccati facit. Ergò Caus. mor. per a. peccati dici potest.* R. Illud oppositum consequi nec Causam per se, nec per accidens *facit, sed prorsùs contingenter se habet. Et vitio hominis adscribi debet, quòd ex lege bonum jubente per accidens ab homine patretur malum, non autem lex Causa ad id ullo modo dici debet, sed nudum antecedens, unde vitio malitiæ humanæ malum sequitur consequens,* t. 40. 29. 55.

42. X Deus naturam conservat *in peccando, vires, motum, & sensum sufficit, sine quo peccari non posset, ad actus & motus influit & concurrit, sine quo illi exerceri non possent. E. peccati Causa p. a. dici potest.* R. Etiam negatur Consequentia. *Deus servat, movet, causat id in homine, quod reale & positivum est, non defectivum & accedens vitium in motu, quod privativum, in quo peccati formale, & quod à solo homine ejusq́; perditâ naturâ est,* t. 13. *Nec qui influit ad unum, statim ad accidentaliter junctum influere necesse habet. Sic auriga dirigendo equum in viam in motum equi influit, non in claudicationem, Citharoedus pulsando fides in sonum, non autem dissonantiam earum influit. Sic Magistratus ad tempus peccatores ser-*

vat,

vat, non è vestigio ad supplicia trahit, nec Causa scelerum in illis per accid. Nisi improbâ conniventiâ servet, t. 39. Concursus Dei ex se indifferens est, *eoq; legi naturali non repugnat*: Concursus hominis ad malum determinatus est, *eoq;* repugnat. *Vnus quidem numero actus est, hominis & DEI*: Sed duo agentes & concurrentes, qui unum actum efficiunt. Activitas *ab homine & Deo est*, Obliquitas *à solâ Causa particulari, quæ per acc. deficere potest*, t. 31. *Sic incessus à Deo est, claudicatio à tuo vitio. Extensio manus à Deo: Ad alienum objectum à te, & in te, ac vitio tuo. Sic aër lumen à Sole, Colorem à vitro, per quod radius lucet, habet.* XI. Deus levius peccatum fieri *permittit, ut à graviore avertat*, Genes. 37. v. 21. 27. seq. *E. levioris saltem Causa per a. dici poterit.* R. Ne hoc quidem. Aliud *permittere vel non impedire est*: Aliud, *Causam rei per se vel per accid. esse. Permittimus multa, quæ inhibere non possumus, aut certo fine non volumus vel debemus, quorum causæ nec per se, nec per accid. dici possumus*, t. 48. *Ad vendendum Josephi fratres propriâ malitiâ jam inclinabant*, v. 27. *Id Deus fieri permisit, & in fines longè alios, ac ipsi intenderunt, direxit*, t. 39 *Ex quo nec per a. nec per se venditionis Causa extitit.*

43. XII. Deus aut volens permittit peccatum, *sic facilè causa ejus p. a. dici potest, aut nolens, & sic peccatum fieri non posset, impediret enim illud.* R. Volens *permittit, ut permissio ipsa volentis sit, eamq; Deus velit: sed peccatum ipsum non vult*, Psal. 5. v. 5. *Verùm odit & prohibet*, t. 30. Permissio *est bona, eoq; eam Deus vult*: peccatum *malum, eoq; non vult*. Volenter permissivus peccati est, non permissivè volitivus. *Permissio est voluntatis, & permittere peccatum Deus vult: sed res per permissionem facta, ut peccatū ipsum, contra voluntatem Dei est.* τὸ *volens regit accusativum verbi permittit,*

non nominis peccati, *ex* Reformatis *benè* Polanus L. 2. Log. p. 206. Heidfeldius C. 18. Sphyng. Zanchius l. 8. d. nat. Dei, c. 4. q. 4. aliiq. *Permissio non est voluntas, sed signum voluntatis volentis non impedire. Non invita aut coacta est, sed libera, eoq; aliquid voluntatis est, sed non ipsa voluntas aut ejus species est. Et fieri non posset peccatum, si non Deus vellet, aut non permittere illud vellet. Hoc autem omninò vult.* Conf. t. 45. XIII. Olim concessum fuit, *Deum causam peccati per accidens dici posse, sed moralem & occasionalem, quà legem tulit, naturam servat, vires dat, ad motum & actum influit,* Auctar. ad Coron. Logic. t. 37. *Hic ipsum negatur, & sic contradictio committitur.* R. Concessum fuit, *sed terminum Causæ* latè & abusivè *sumendo, non quòd influat, sed quòd occasio peccandi vitio hominum ex lege rapiatur*, t. 40. 41. *Hic negatur, quia Causa vero suo significato sumitur, & Causa per acc. altera species analogica Causæ statuitur*, t. 6. seq. *Quomodo & illo ipso loco* t. 37. *jam negatum fuit, ullo modo Deum Causam peccati per ac. Orthodoxè dici posse, in quo nulla vera & realis est contradictio.* XIV. Bonum Causa per accidens mali esse potest, *ut angelus & homo, ut in Metaphys. docetur. E. & Deus, nam summum bonum.* R. Bonum finitum, dependens, & creatum, *Causa mali per accidens esse potest, & hoc docent* Metaphysici. *Non autem independens, essentiale, & infinitum, ut Deus. Hoc enim ipsa bonitas per independentiam essentialem & originaliter est, cum cætera per dependentiam & participationem talia sint, eoq; deficere poßint.* V. t. 31. *Perinde acsi essentialem lucem per accidens Causam tenebrarum esse dicas*, t. 22. XV. Christus dicit *se venisse ignem, gladium, & dissensiones mittere, ac homines incitare ad persequendum sese*, Matth. 10. v. 34. Luc. 12. v. 49. *Sed hoc non per se, sic enim ad*

pacem venit, Luc. 4. v. 18. Act. 10. v. 36. Colosſ. 1. v. 20. Epheſ. 2. v. 14. *E. per accidens, & ſic Cauſa per accid.* R. Hæc & ſimilia *eventualiter de Chriſto dicuntur, quòd per malitiam hominum Evangelij prædicationem conſecutura ſint, quomodo legem per accidens & eventualiter conſequitur, quod irritentur peccata, occaſiones peccandi impijs arripiantur, & Euangelium odor mortis ad mortem dicitur, quòd accidentaliter hoc malitiâ hominum conſequatur, & vinum homines inebriari, quòd abuſu hominum per accidens hoc accedat, non autem hæc Cauſæ per accidens talium ſunt, quæ homines ipſi ſunt.* Sed per accidens hæc prædicantur de talib. *Vt de antecedentibus, non præcisè ut Cauſis per ſe aut per accidens. Eſt autem longè latius, per accidens aliquid de aliquo dici, & alicujus Cauſam per accid. eſſe*, t. 25. 29. *Reliqua, quæ moveri hic poſſunt*, ad L. C. de peccato ejusq; Causâ *in Theologis pertinent. Hic de Cauſa per accidens tantùm ejusq; ratione ac loquendi formâ, an ſenſu aliquo Orthodoxo Deo aptari poſſit, agendum facit.*

44. *Oſtenſum*, Deum Cauſam peccati per accid. vocari nullo modo debere. Jam alii loquendi modi *circa hoc ſunt, qui ab aliis adhibentur. De quibus* an liciti, *inter cætera disquiri ſolet, & hic ut aliquid attexatur, uberius materiæ lumen requirere poſſit.* I. Quidam Deum Cauſam moralem peccati per accidens vocare malunt, *non Cauſam abſolutè, nec Cauſam Phyſicam, quòd ut legislator Cauſa legis ſit, præſcribat, & jubeat bona, dirigat, corrigat, minetur, & lex per ſe obedientiam requirat: Ita ſi per accidens inobedientia & vitioſitas in homine inde exſurgat, Cauſa moralis per accidens iſtius vitioſitatis dici queat.* Sed *& hic modus loquendi periculoſus eſt.* 1. Quia *Deus prorsùs non Cauſa peccati eſt, nec per ſe, nec per accidens*, t. 30. 31. *E. nulla ſpecies Cauſæ ratione peccati illi*

illi tribuenda. E. nec moralis per accid. Species enim Causæ efficientis sunt, moralem & naturalem esse, t. 6. 8. 2. Quia *si Causa moralis peccati est, E. moraliter ad peccatum influet, sed per accidens. At sic moraliter per accidens deficere oporteret, quia peccatum ens defectivum, ad quod aliter influi non potest, quàm deficiendo. At hoc in perfectissimum agens, quale Deus, prorsùs non quadrat*, t. 31. 3. Quia *moralis per accidens ad moralem per se reducenda esset. At peccatum non habet ullam causam per se, tantùm per accidens*, t. 31. *E. nec moralem habebit, quorsùm reducatur. Quòd ex lege occasio peccandi rapiatur, Causam moralem per a. nondum facit, etsi occasionem per accid. sed per malitiam raptam, non datam & suppeditatam, facere possit, à quâ non statim Causa deducenda*, t. 40. 41. 47.

45. II. Alii Deum peccata ut pœnas & passiones velle ajunt, *non ut peccata & actiones. Ita ex* Pontificiis Canus L. 1. Locor. c. 4. Cajetanus in 2. Reg. c. 12. & 16. *Ex Lutheranis* Hutterus p. 237. & 246. L. C. Affelman. triad. Syllog. n. 1. 2. Paul. Laurentius in 2. Sam. 24. Grawerus in art. 19. A. C. p. 113. Ex Reformatis Timplerus 2. Meta. c. 9. q. 27. Et ex. 10. q. 36. Beza resp. c. Castalion. aphor. 22. Pareus Irenic. c. 28. Chamier L. 3. c. 6. t. 5. Spanhemius in h. l. Crocius c. Affelm. c. 5. Martyr. in Rom. 9. Maccovius d. 5. 8. de provid. Et L. C. p. 2. d. 16. Ex Photinianis Smalcius c. Frantz. d. 9. & 12. Volkelius ad nod. Gord. c. 18. Socinus c. 10. præl. Theol. Catechism. Racoviens. p. 305. *Quanquam ex illis ipsis* Nicolaides *Deum peccati causam facere summum scelus suos judicare ait* ref. Tract. d. miss. Ministror. c. 10. *Hinc mala Dei ultoria, non peccatoria, supplicij, non delicti, infortunij, non vitij, passionis, non actionis in homine esse ajunt.* Rectiùs *dicitur, Deū pœnam in peccato ejusq;* in

in pœnam directionem velle, quàm ipsum peccatum, quod non vult, Psal. 5. V. t. 30. Adjunctum illud in peccato, relationem peccati in pœnam, *vult, ut in pœnam homini eam merito id cedat, non ipsum peccatum. Et peccatum pœna est adjunctivè, sed non quidditativè.* Pœna, *quà talis, semper est à Deo, ut justo judice, in genere rerum justarum & à Deo approbatarum, & effectus judicialis est, qui Deo competit:* Peccatum *semper à Sathanâ, in genere iniquorum & à Deo reprobatorum, & effectus Causæ deficientis est, ac Deo competere non potest. Vt pluribus alibi traditur.*

III. Alij Deum peccata velle voluntate permissivâ, *sed non approbativâ ajunt.* Calvinus L. 3. Inst. c. 23. Lubinus in Phosphoro & Apologia, Piscator præf. disp. d. præd. c. Schafman. Alstedius f. 1. Th. Sch. c. 22. t. 4. 11. Wendelinus L. 1. Theol. c. 6. t. 10. Palatini im kurtzen/ Anhang p. 155. 156. Timplerus ex. 6. q. 25. *Simile quid* Thomas *cum voluntate concomitantiæ, sed non efficientiæ sentire possit*, p. 1. q. 41. *Etsi non ad hanc materiam applicuerit*, Stegmannus d. 11. Phot. q. 1. & alij. Malè *& hoc.* 1. Deus *nullâ voluntate vult peccata, nec permissivâ, nec approbativâ, est enim non volens peccati*, Psal. 5. *E. non debet dici ullâ voluntate ea velle, nec permissivâ. Hæc enim aliqua voluntas est. Sic si dicas, Deum interitum impiorum velle voluntate punitivâ & judicij, Sed non gratiosâ & beneficij, aliquâ voluntate eum velle dicis. Idem est, si peccata velle voluntate permissivâ.* 2. Permissio *non statim voluntas est, ut indè voluntas denominationem habere velut speciei alicujus debeat, & vol. permissiva dici, sed est signum tantùm, quòd voluntas non velit vi aliquid inhibere, sed sinere.* Est non impeditio rei, & voluntatis quidem; sed non ipsa voluntas. *Volens permissio & volentis*

Dei est, ut subjectum permittens describatur: *Sed* non ut ad objectum, *quod permittitur, determinetur, quasi & illud velitur. Sic Petrus sedens hæc scripsit, non stans, subjectum scribens describitur. Sed scripsit hæc scriptione sessivâ, non stativâ*, ipsam scriptionem *dividit, ridiculè. E. nec debet à permissione voluntas velut in modos suos dividi.* Scholasticis *quandoq; voluntas signi dicitur, non quòd circa omne objectum permissum voluntas sit, ut* Durandus *voluit, sed per figuram aliquam, quòd signum sit, quòd voluntas aliquid impedire nolit, ut pleniùs in* Scholasticis *docetur. Aliud, volentem permittere, aliud permissivè velle. Illud permissionem, hoc volitionem determinat.* V. t. 43.

46. IV. Alii Deum velle motum & actum, sed non ejus pravitatem & ἀταξίαν ajunt. Ita pleriq;. *Et distinctio suo loco in* Metaphysicâ *rei consideratione procedit, quanquam in* Ethicis *non curatur, ubi totus actus cum materiali & formali suo vitiosus & damnatus habetur, ut* Dec. 2. Misc. d. 3. t. 15. Et Dec. 3. d. 3. t. 20. *dixi. Sed hic ubi ita distinguitur,* 1. Motus *ut motus nondum est peccatum, & sic volendo motum eoq; concurrendo, nondùm peccatum vult, & eò concurrit, quod in pravitate, defectu, & malignitate mot9 actusq; consistit*, t. 31. 42. *Peccatum verò detorsio & pravitas in motu est. Quam si non velit ad eamvè concurrat Deus, peccatum velle aut ejus Causa esse, dici non potest, de quo propriè hic quæstio est. Et materiale vel subjectum peccati nondùm est peccatum ipsum.* 2. In peccato *omissionis distinguere ita non licebit, non enim ibi actus aut motus est, in quo pravitas, sed actionis, quæ occupari deberet, omissio, qaæ privatio est, & tamen pravitas ac peccatum est. Vt cum quis famelicum & pauperem pascere debet, & non pascit. Vnde illud, non pavisti, E. occidisti. Sic dives epulo Lazarum non pascens*, Luc. 16. v. 21. *Omissio autem si illegalis sit,*

etiam peccatum est, & damnosa. Sic Sabbathum sanctificabis, Exod. 20. v. 8. *Si omittas, peccatum est, quod Deus non vult, Causaq́ ejus esse nequit. Nec solùm mala facere, sed & bona omittere, peccatum est, ubi inter actum & obliquitatem non distinguitur, sed tota actionis privatio peccatum habetur.* 3. Propria *quæstio hic de vitiositate & obliquitate est, in quâ formale peccati, an ejus aliqua Causa Deus, aut aliquâ ratione eam velle dici posfit. De materiali ergò respondere, aut illud ab alio distinguere, quæstionem ipsam non attingit, & proin distinctio accuratè ad scopum non est.*

47. V. Alii Deum occasiones peccatorum hominibus subministrare ajunt. Sic ex Reformatis Calvinus l. 3. Inst. C 24. s. 12. Zanchius L. 5. d. nat. Dei, C. 2. p. 4. Zegedinus in L. C. p. 233. Martyr in C. 1. Rom. Wendelinus L. 1. Th. C. 9. t. 6. Crocius c. Affelman. C. 5. p. 93. *aliiq́. Malè & hoc.* 1. Deus *offendicula peccandi de medio auferri & cavere jubet*, Esai. 57. v. 14. 2. Cor. 6. v. 14. 15. Baruch. 6. v. 3. 4. Matth. 24. v. 23. seq. *Ergò non ipse ea suppeditat. Qualia occasiones peccandi sunt.* 2. Occasio *est primum ad peccandum illicium. Sic occasio facit furem. Sic Deus primus ad peccandum incitator & illector esset, quod blasphemum.* 3. Rectiùs *dicitur, homines ex aliquo per accidens occasionem peccandi rapere, quod longè alio fine propositum est, & sic per accidens ac ex eventu occasionem peccandi hominibus fieri, quàm Deum occasionem eò suppeditare.* V. t. 40. 41. 44. VI. Alii malum absolutè necessarium fuisse dicunt, *ut boni, sancti, justi, misericordis, & benigni natura elucesceret, quæ aliàs innotescendi causam non habuisset. Ita* Lactantius L. 5. C. 7. *olim &* Valla l. de serv. arbitr. *horum quædam scripserunt, unde postea quidam* Reformatorum *arripuerunt, ut* Calvinus

l. 3.

l. 3. Instit. C. 23. *Et* Tract. d. occult. provid. Zwinglius serm. d. provid. C. 5. 6. Zanchius L. 5. d nat. Dei, Beza resp. c. Castalion. Piscator con. Schafman. Renneccherus d. prædest. C. 2. *Et ex Lutheranis* Lubinus in Phosphoro & Apologiâ C. 2. 19. 20. & alibi. *Quadam horum & Mor*næus de ver. Christ. relig. C. 2. *& alibi, ac* Molinæus C. 3. Anat. Armin. *habent.* Contrà, 1. Deus *non eget peccatorib.* Syrac. 15. v. 12. *E. nec malum ad justitiam aut bonitatem ostendendam absolutè necessarium fuit.* 2. Si malum *prorsùs necessarium, malè Deus prohibuit. Non enim bonitas ejus esse aut cognosci potuit. At Consequens blasphemum. E. & antecedens falsum esse oportet.* 3. Sic necessariò *Adamus peccasset, qui tamen liberè & contingenter peccavit. Nec Deus vult mala, ut indè eliciat bona,* Rom. 3. v. 8. *Ac malevolam benevolentiam* Augustinus *ait, miserum velle, ut ejus misereatur,* l. 3. Conf. C. 2 4. Deus *sibi ex seipso ad omnia sufficiens est, ut absolutè omnipotens,* Genes. 17. v. 1. C. 35. v. 11. Jerem. 32 v. 27. Et alibi. *Non ergò vitiis ad sua manifestanda indiget. Aliter veritas & justitia cognosci potest, quàm ex opposito suo, mendacio & injusto, ex proprio nempè esse & formali, proprietatibus & effectis suis, nec ab opposito præcisè pendet, ut indè cognitionem mutuari oporteat. Sic in Deo ab æterno, angelis & hominibus ante lapsum. Non æstimantur interdum bona, nisi ex privatione & amissione eorum, ut valetudo, libertas, pax:* Benè tamen cognoscuntur. *Sic visus, auditus, olfactus, sine cæcitate & surditie esse & cognosci possunt, etsi hæc non sine illis, quorum privationes sunt, ut in* Metaphys. & Logicis *pluribus docetur.*

48. VII. Alii peccatum ut tale ne quidem propriè permitti ajunt, *secùs non planè à culpâ immunem fore Deum,*

sed

sed ut pœna peccati est, ut Beza resp. ad Castal. aph. 22. V. Crocium p. 2. Conv. Prut. C. 11. *Huc* illi *pertinent, qui permitti ea dicunt, quæ impedire non possumus: Conniveri illis, quæ possumus. Hoc modo Deus peccata non permittat.* Vel *permitti ea, quæ scientes prudentesq; fieri sinamus, cum impedire possimus, quomodo lupanaria permittantur, & census indè accipiatur, & trapezitæ in Belgio publicis edictis ferantur;* Connivere *illis, quæ non videre aut scire nos simulemus. Sic meretrices & lenones in Hollandiâ vivere, quòd Magistratus conniveat. Vt* Salmasius Conf. not. ad excerpt. n. 16. *Et sic Deus peccatis. Sed* 1. Discrimen *hoc* in Theol. & Philosoph. *non curatur, quicquid de Philologicis sit, in quibus observetur. Hic permittere, ferre, tolerare, connivere, sinere, unum idemq; notare possit.* 2. Ipsa *Scriptura Deum mala permittere in hominibus dicit,* Esai. 63. v. 17. Ezech. 24. v. 8. Psal. 81. v. 13. Actor. 14. v. 16. Rom. 1. v. 24. 26. *Vt & bona aut indifferentia,* 1. Cor 16. v. 7. Hebr. 6. v. 3. *Non discrimina ista curiosè observat. Et conniventia species aliqua permissionis esse potest, cum pro tolerantiâ facti, non licentiâ faciendi, sumitur,* t. 40. 3. Permissio *ambigua est, & tolerantiam facti, sic peccata, & licentiam faciendi notat, sic divortium permissum,* c. l. *Prius conniventiam, posterius licentiam importat, ut trapezitæ & lupanaria, ac in V. T. divortium. Vtrumq; permissio aliqua communiter dicitur. Et sic Deus permittit, tolerat, fert, connivet in peccatis.* 4. Nec indè *culpam trahit Deus, quòd permittat, perindè ac nec bonus Magistratus, quòd scelera fieri sinat, ut aliquando puniat. Sinit enim tantùm & prohibet, non licentiam faciendi concedit.* Dices: Si tantùm permittit peccata *Deus, otiosus spectator in illis erit, quod potentiæ & providentiæ ejus repugnat.*

Corollaria
De
Pnevmatica seu Pnevmatologia vel Doctrina de Spiritu.

AN *Pnevmaticem* ut peculiarem Doctrinam & habitum Spiritũ & sic repræsentantem in Philosophiâ assignare oporteat, ut *Gutkius*, *Reyerus*, *Scharfius*, *Elerus*, *Clotzius*, *Alstedius*, *VVendelinus*, volunt, An potius ad Metaphysicam doctrina ista referenda ut *J. Martini*, *Scheiblerus*, *Suaretz*, *VVerembergius*, *Timplerus*, *vel Physicæ* assignanda, ut Ramei *Scribonius*, *Goclenius*, *Crusius*, *Bodinus*, *Neuville*, *vel* ad solam Theologiam referenda, ut *Hutterus*, *Althusius*, volunt *vel* in duplicem disciplinam dirimenda, pro Spiritu infinito, ut DEO, & finito, ut Angelo & Animâ rationali, ut *Pererius* vult? Primum Aff.

2. Per qvid ut per genus definienda, an scientiam, ut plerique volunt, an Sapientiam aut Prudentiam, vel etiam Artem, ut *Ramei*? Prim. Aff.

3. An adæqvatum ejus objectum *Spiritus ut sic*, qvà à finito & infinito, Creato & increato abstractus, & ad utrumque indifferens est, sit, an Spiritus creatus ut, *Reyerus* & *Timplerus* volunt? Prius Aff.

4. An habitus Theoreticus, practicus, *vel* ex utroque aggregatus sit? Prim. Aff.

5 *Qvibus è causis & principiis* habitus ille in animo hominis exsurgat? *Internis*, objecto, & Spiritu, & Formâ, Spiritus distincta repræsentatione, *& externis*, efficiente & fine.

6. An verum ejus subjectum mens & Intellectus humanus, an potius liber & Systema præceptorum materias ejus repræsentans, sit? Prius Aff.

7. *Attributa* an habitus ille habeat, & qvalia ea sint? An *Absoluta*, ut Unitas, Simplicitas, Dignitas, Jucunditas, *& respectiva*, ut necessitas, Utilitas, & ordo doctrinæ in Philosophia. Aff.

8. Rectenè & plenè in partem generalem & Specialem dividatur? Aff.

9, *Cura modusque docendi ac discendi* eum an impedimentorum remotione, & reqvisitorum positione rectè assignetur? Aff.

10 Spiritus an rectè substantia incorporea intelligens & volens, concretionis materialis naturâ sui intrinsecè expers, definiatur. Aff.

11 An principia essendi spiritui ut sic, adeoq; etiam DEO, rectè assignentur, an potiùs cognoscendi? Poster. Aff.

12. An Spirituales Substantias præter corporeas in universo dari, efficaciter è solo Naturæ lumine, sepositâ Scripturâ, ostendi possit? Aff. Idq; tàm de *infinito* Spiritu, ut Deo, qvàm *finito*, ut Angelo ac anima humanâ, aff. & ex parte in *Michael. t. 2. & seq.* ostensum.

13. Attributio Spiritus ad creatum & increatum an univoca sit, an æqvivoca, an analogica, an prorsus nulla? Pennult. A.

14. An attributa Spiritus ut sic *accidentia prædicamentalia* sint, realiter à Subjecto differentia, & compositionem prædicamentalem in eo faciëtia? An in Sp. creato potiùs ita se res habeat? Post. A.

15. An reales & positivæ perfectiones sint, etsi *vocibus sono negativis* qvandoq; enuntientur, ut inextensibilitas, indivisibilitas, illocabilitas, Physica immutabilitas & immobilitas, insensibilitas. *Qvædam* etiam voc bus positivis, ut simplicitas, perennitas, Ubietas, voluntas, libertas; A.

16. An inter Attributa Sp. propriè etiam vita & Vitalitas referenda, ut *Clotzius* vult? N.

17. An adæqvatè in Spiritum *infinitum*, ut DEum, *& finitum*, eumq; vel completum, ut angelum bonum & malum, & incompletum, ut animam humanam, dividatur? A.

18. An DEus rectè in Pnevmaticâ Spiritus infinitus a seipso existens, & ex seipso ad omnia p enè sufficiens, definiatur, & hæc definitio etiam ad Theologiam congruat? A.

19. An naturâ constet, esse Deum, bonum, justum, unum, veracé, omnipotentem &c. Aff.

20. Qvalis cognitio DEI in hac vitâ sit? Apprehensiva, inadæqvatas & qvidditatis, non comprehensiva, adæqvata, & qvidditativa, repræsentans, sed non exhauriens?

21. An DEus à Creaturis rectius primò diversus, qvàm differens dicatur? Aff.

D. O. M. A.

De CAUSA PER accidens,

EXERCITATIO V. & ultima:

Loqvendi modos in hac materiâ de causâ peccati ulteriùs exhibens.

QUAM

PRÆSIDE

HENRICO NICOLAI,

Phil. Profess. Publ.

Placidæ ventilationi subjicit,

CHRISTIANUS STORCHOVIUS,

Dantiscanus Borussus.

In Gymnasio Gedanensi.

Ad diem 24. Martij.

Horis locoq; destinatis.

Typis Viduæ GEORGI RHETI.

Anno M. DC. L.

De Ulterioribus loquendi modis in hac materiâ.

XLVIII.

R. Non sequitur. *Operosa illa Dei est permissio, & prævidet, prohibet, cohibet, metas præfigit, flectit, præsidet, gubernat, ordinat, deserit, peccantem sibi relinquit, judicia sua in ipsâ peccatorum permissione exercet, dirigit ad fines & bonum, quod mirabiliter ex malo elicit, punit, peculiaria supplicia, ut excæcare, indurare, Sathanæ tradere, in reprobum sensum mittere, immittit, aliaq; agit ante peccatum, in eo, circa id & post id, quæ potentiæ, providentiæ, prudentiæ, & justitiæ ejus conveniunt, ut in* Theolog. *pluríb. docetur. Quod non est nudè ac otiosè permittere, eoq; nudam illam permissionem rectè exagitavit Calvinus.*

49. VIII. Alii crassiùs in modis loquendi & hypothesibus in hoc negotio peccati procedunt, *ut labem fermè in Deũ refundant, eumq; ejus Causam consequenter constituant.* Luthero & Melanchtoni *ob duriora quædam dicta id tribuunt* Bellarminus L. 2. d. peccat. c. 1. Tannerus T. 2. Th. Sch. d. 4. q. 9. Tirinus Indic. Controv. Loc. 12. n. 8. Ex Arminianis *etiam* Tilenus L. d. Caus. pecc. c. 5. Lutheranis Alvaretz d. 3. d. auxil. n. 14. Roëstius in Pseudojubilæo, c. 15. Et Chavassius L. 1. d. not. relig. c. 5. *Et Evangelicis in communi per consequens ob negatum in spiritualibus liberum arbitrium id imputat* Socinus, *quòd iniquitatis ac crudelitatis Deum reum faciant, qui ab homine in spiritualibus requirat, quòd de se ne velle quidem possit,* Lib. suasorio p. 15. 16. Et præl. Theol. c. 5. Ex Lubino, V. t. 47. Et Althammeri Diallage *similia*

excerpi solent, de quib. t. 52. *dicetur.* Et Pontificiis *rectiùs ex certis hypothesibus id tribuatur, ut* c. l. *patebit.* Reformatis *validè id tribuunt* partim Lutherani, ut Hutterus in L. C. Irenico, & in form. Concord. Brochmandus & Gerhardus in L. C. Affelmannus in triade Syllog. n. 1. Durfeldius c. Joh. Crocium, Mentzerus in Exeg. & Tom. 1 Giesf. Et Apologia c. Joh. Croc Grawerus p. 7. Au. Conf. Et absurd. Calvin. Echardus in Theol. Calvinist. Jac. Martini Tr. de Causa peccati, & Collegio novo Anticalu. Meisnerus in Antropologia & proba 2. Calv. Himmelius in Syntagmate, Collegio Irenico, Apologia, & aliis scriptis, Phil: Nicolai & Hoëus in variis scriptis, Hunnius de fundam. dissensu, Heshusius in Locis, Schlüsselburg. in Th. Calv. Gerhardus d. 5. d. gloria Dei. Försterus dec. 2. in Symb. Partim Pontificij, Bellarminus l. 2. d. pecc. c 3. 4. seq. C. à Lapide in 2. Petr. 2. v 18. Serarius c. Pareum, Mülhusinus in speculo & auctario c. Pareum, Becanus p. 2. Th Sch. & in Opusculis, Maldonatus, Fewardentius in Theomachi. Prateolus elench. hær. Giffordus in Calvinoturc. Jesuitæ Monasteriens. in Credo. Calvin. Sanctesius, Bozius, aliiq; ; Partim ex ipsis Reformatis Castalio & Arminiani in Act. Synodal. lib. Apologia, & particularib. scriptis. Contrà *validè sententiam à se removent, & per calumniam sibi tribui contendunt* Reformati, Dordracenses in Actis, Calvinus con. Libertinos, Institutionib. & L. d. de prædestin. Harmonia Confess. s. 4. Pareus in Irenico & Colloq. Sualbacensi, Joh. Crocius c. Affelmann. & in Aug. Confess. Massonius in Anatomia, Chamier c. l. Et Epitomator ejus Spanhemius, Pegaw. c. Zach. Fabrum, Molinæus in Anatom. Arminianis. & de prædestin. Voetius d. 54. p. 1. disp. Anonomus in stabil.

ſtabil. Irenic. p. 56. ſeq. Conrad. Bergius in praxi Cathol. Ameſius T. 4. Bell. enerv. Wendelinus in Theol. Sohnius in Aug. Conf. Altingus in eand. Polyander in Miſcellaneis, Rivetus in Cathol. Orthod. Lucius con. Libavium, Abothus in prælection. Vorſtius Apologia c. Monaſteriens. Mareſius T. 1. c. Tirinum Loc. 12. n. 8. Et in Salute Reformat. ac Antichriſto revelato, aliiq; , *ac duriùs dicta in mitius & commodius explicant.*

50. Dicendum hic I. Veteres Reformati quidam craſsè & imprudenter hac de re locuti ſunt, Deum velle, decernere, ab æterno decreviſſe, incitare, impellere, occultè inſtigare, *particulari & occultâ actione ad peccata concurrere, ad peccandum cogere, omnia in omnib. indifferenter operari, occaſiones peccandi objicere, ut* Calvinus, Zvinglius, Beza, Martyr, Bullingerus, Zanchius, Danæus, Sturmius, Zegedinus, Pezelius, *quorum loca apud citatos authores ſatis proſtant. Ex* recentioribus *nonnulli etiam periculosè procedunt, ut* Urbanus Paſtor *Hattemenſis* ap. Jac. Martini d. 9. Colleg. novi, t. 25. *Interdum & ſcripta publica ac Confeſsiones non ſatis dextrè procedunt, ut* Hunnius d. diſſenſu t. 609 ſeq *docet, quæ ſatius eſſet omitti, quàm uſurpari.* II. Ex recentioribus quidam congruè in hoc negotio procedūt, & inter actum, malitiam, ac Dei judicium, *peccatum abſtractè & concretè, materialiter & formaliter ſumptum, actiones in ſe & qualitates earum, undè malæ, diſtinguunt, ac malitiæ ut ſic Deum cauſam apertè negant, ut* Confeſsio Gallica a. 6. Crocius, Pareus, Timplerus, Keckermannus, Goclenius, Steinius, Alſtedius, Chamierus, ejusq; Epitomator Spanhemius, Scharpius, Arminiani, Rivetus, Masſonius, Junius, Perkinſus, Piſcator, Voetius, & alii. *Et quosdam inter ipſos ſatis commodè*

hic loqui fatetur Gerhardus L. C. d. provid. t. 136. *Quod &* Crocius c. Affelman. p. 322. *citat, Quē etiā* Durfeldius *sobriè & castè de Deo, justitiâ & sanctitate divinâ loqui & sentire, ac ab alijs Calv. hic divortium fecisse, satisq; idoneis argumentis, Deum non esse peccati causam, demonstrare fatetur, & quæ si ubiq; Calv. observarent, multò faciliorem in multis capitibus ad unionem in fide aditum patere addit* C. 2. contr. Joh. Crocium, ac c. 5. p. 198. *quosdam eorum non scripsisse alius similia, & à blasphemiis istis abhorruisse à vi evidentis veritatis impulsos ait, sed quod sociorum errorem non excuset.* Maresius Th. Loc. 6. t. 9. *Qui Deum ullâ ratione peccati Causam statuunt, nec peccatum, nec Deum ipsum rectè novisse ait. Similia* Lud. Crocius in Paræn. d. Theol. Crypt. c. 4. 5. Molinæus c. 3. Anat. Armin. *habent. Ac nonullos, ut* harmoniā Conf. Piscatorem, Sohnium, Polanum, Bucanum, aliosq; *pro verâ sententiâ* Himmelius d. 3. Colleg. Ireni. t. 3. Et d. 4. t. 2. adducit. Chamier c. l. c. 3. *Nobis adstipulantibus, apertè ait, operas etiam conferentibus, concludit* Bellarminus, *Deum non esse peccati authorem, & nullò modo peccare. Anathema, si quis contradicat.* Et c. 5. t. 8. *Quicquid dici potest, ut constet, Deum non esse authorem peccati, facilè suos admittere, dum ne injuria ejus potentiæ sapientiæq; fiat.* c. 7. t. 14. *Concedimus, Deum nunquam deficere, adeoq; nunquam peccare. Tàm nobis hoc certum, quàm Deum esse. Igitur si in rebus, præterquàm quod sunt aliquid, etiam peccata sunt, omninò id à Deo habere non possunt, ut peccata sint, etsi habeant, ut sint aliquid. Nam hoc est efficere, non deficere.*

Alii *efficaciam Dei* in directione, flexione, rectione, & ordine peccati, *non ipsâ iniquitate*, alii *in actus entitate, non defectione, ut Simei maledicto*, alii *in punitione per alterius peccata.*

cata, ut Absolonis incestu, quo Davidem Deus castigatum voluit, alii *in motione peccata ad sua judicia & voluntatem exequendam adhibendi, & certo consilio mala, quæ fiunt præfiniendi, non corruptionem dandi, quæ in malis jam est, quomodo per populum Jehu manum ad exscindendam Achabi familiam impiè commodantem eoq; punitum*, 2.Reg.10.v.7. *consilium suum de Jehu Achabi domum exscindente*, c. 9.v.7. *executus est*, Alii *in directione finis, qui semper alius Dei & bonus, alius hominis & malus, agnoscunt, de quibus latè* Chamier c. 2. 3. seq. aliiq; *legantur*. Quidam *asperiora dicta non Catholicam Ecclesiæ, sed privatorum scriptorum sententiam esse regerunt*. ut Wendelinus c. l. Pareus in Colloq. Svalbac. Coll. 2. Et in L. 2. Bellar. de pecc. Voëtius d. 54. t. 3. Crocius c. Affelman. C. 4. Quidam *expressè ea rejiciunt & reprobanda censent, ut* Voëtius c. l. t. 5. *Vbi si qui è suis efficacem permissionem, ordinationem, operationem Dei in peccato*, ut formaliter tale est, *statuerint, nec inter peccatum concretè & abstractè sumptum distinxerint aut distingvi voluerint*, eorum dicta se non excusanda & defendenda, sed corrigenda & apertè rejicienda ac damnanda dicturum ait. Wittackerus co. Dureum L. 8. s. 1. Si Calvinus, Martyr, *aut alius è suis affirmet, Deum authorem & causam peccati esse, non repugnare se, quin omnes horrendæ blasphemiæ scelerisq; rei sint, ut* & L. 2. d. fide Christ. C. 5 *allegabo.* Maresius c. Tirin. L. 12. n. 8. *Detestamur cum Tirino execrandam hanc blasphemiam, quæ Deum Causam peccati facit.* V. & Systema Theol. Loc. 6. t. 9. V. t. 50. Lud. Crocius in parænet. p. 113. *damnare hunc errorem, quòd Deus author peccati, publica Reformatorum Scripta*, publicas Confessiones, Conciones, publicas Ecclesiarum praxes, *& tot paratissimas mortes ac martyria ait.*

Moli-

Molineus *omninò istas voces, peccatum fit Deo procurante aut adjuvante, ex Theologiâ exterminandas esse ait*, C. 3. an. Armin. n. 4. *In* Synodo Dordracenâ *etsi duriora ista genera sess. 132. peculiariter rejicere noluerint, ut* Britanni, Hassiaci, Bremenses, *monuerant, ne & doctrinam illorum Orthodoxam, qui phrasibus istis duriùs aut imprudentiùs uti videantur, pariter damnari Adversarij calumnientur, Quod* J. Martini illis objicit d. 9. Colleg. novi. t. 36. *Tamen* sess. 42. p. 215. *ad scrupulos magnos & multos in reprobatione respondent, aut secùs quædam scripta fore, quàm vellent, sive in veteribus aut novis, suis aut aliis scriptoribus, Quæ si non probare vel justè excusare possint, vitari suadebunt: aut rectè dicta, quæ immeritò alios offendant, aut incommodiùs, quæ commodâ explicatione juvare & explicare veritatis & caritatis esse arbitrentur.*

51. III. Non esset magnoperè de horridioribus phrasibus contendendum, *cum & apud Patres ac Theologos similes inveniantur, & Scriptura ipsa valdè simpliciter hac de re loqui deprehendatur, ac de Deo enunciet, quæ Sathanæ ac hominum quà ipsam malitiam propriè sunt*, nisi defensores, excusatores, incrustatores, palliatores *apud* Reformatos *invenirent, ut ex* Crocio, Pareo, Voëtio, Chamiero, aliisq; *patet, cum duri, incommodi, improvidi, impij de Deo loquendi modi potiùs vitandi & abolendi, quàm adhibendi, excusandi, aut palliandi sint, tutiusq; in malis abstineatur, quàm defendatur:* Et periculosis principiis, hypothesibus, *dogmatibus, fundamentis, & structuris niti, foveri, & stabiliri adverteretur, ex quibus talia consequi & fluere necessum esset, ut de universali omnium in omnibus Dei operatione, Causæ primæ actuum etiam malorum assertione, præscientiâ Dei omnium Causâ,*

Deum

Deum nihil præscire & providere, quod non etiam velit, Physicâ voluntatis ad omnes actus, etiam malos, prædeterminatione, quam cum Thomistis multi Reformati *recipiunt, ut* Chamier T. 3. L. 2. C 5. 6. *Ejusq; Epitomator* Spanhemius in h. l. Ferrius in Schol. Orthod. C. 2. 3. 4. & 29. Et in Vindiciis c. Perinum C. 4. 5. Rivetus Cathol. Orthod. T. 2. tr. 4. q. 4. Maresius c. l. n. 9. *Multorum absolutâ reprobatione, ad damnationem & damnationis Causas Creatione, necessariâ peccatorum è reprobatione consecutione, Lapsus primorum parentum æternâ decretione, & ad eum impulsione, peccatorum ex decreto immutabili necessitate, permissionis circa pecc. quãdoq; negatione & impugnatione, occasionum subministratione, cordium humanorum ad peccandum internâ inclinatione, ut resistere non possint, internâ, particulari, & ineffabili circa peccata actione, Sathanæ & impiorum opera ad seducendos homines adhibitione, Causæ per accid. de Deo in peccatis assertione, quæ reverâ Causa aliqua est,* t. 6. seq. *Et quam pleriq;* Reformati *asserunt,* t. 28. *Aliisq;, qualia apud* Lutheranos *nunquam occurrent, nec è scriptis eorum ostendentur, cum & modorum loquendi* à Luthero L. de servo arbitr. *usurpatorum in multis alia ratio sit, ac eorum, qui à* Reformatis *adhibiti sunt, ut Collatio ostendit, & à* Meisnero, J. Martini, Tubingensibus, Behmio in anal. lib. d. serv. arbitr. Durfeldio c. Crocium C. 4. aliisq; *solidè deductum: Et hypotheses istæ ac dogmata prorsùs reprobentur & non recipiantur, unde talia per consequentiam deduci omninò necesse est.*

52. In Luthero & Melanchtone *si primis annis duriores phrases & hypotheses occurrerint, ut de fatali omnium necessitate, libertatis abdicatione, absoluto Dei in omnes & omnia jure; in posterioribus scriptis totum illud emendatum est, & ex*

statu

statu cum Adversariis, contra quos egerunt, explicandum, ac ex Augustanâ Confessione horum sententia in his judicanda est, cui uterq; subscripsit. V. J. Martini d. 1. d. Caus. pecc. Et appendice, Meisnerum d. 23. Antrop. aliosq; t. 51. *citatos. Ad quod publicum Ecclesiarum nostrarum Symbolum exigenda sunt, quæcunq; à Luthero vel Melanchtone fervore contentionis cum Adversariis sub primis annis sunt prolata, ut* Gerhardus L. C. d. Eccles. t. 208. *loquitur. Ac de sententiâ alicujus religionis inprimis* ex publicis Confessionibus *& scriptis judicandum, non privatis his aut illis scriptoribus, Quod præter* Reformatos *& præcipui* Lutheranorum, ut Lutherus, Philippus, Rungius, Grauverus, Meisnerus, Meyfartus, Friedlib, Mel. Nicolai, Calixtus, Augustani in Colloq. Thor. s. 9 & 13. Et Romano-Catholicorum, ut Bellarminus, Roëstius, Pontificii in Colloq. Thorun. s. 3. & 9. *requirunt,* ut L. 1. de fid. Chr. C. 7. *docebo* Lubini *hypotheses sufficienter repulit* Grauverus c. Phosphor. Lubin. & Apologia, *quæ ejus privatæ sententiæ fuerunt, & à nullo Lutherano unquam defensæ sunt.* Althammeri *duriora dicta satis discussit* Durfeldius c. Joh. Crocium, *quæ id, quod in Reformatorum scriptis reperitur, non continent.*

Pontificiis *autem ex hypothesibus quibusdam rectiùs tribuatur, quòd Deum Causam mali consequenter faciant, ut* cum *hominem primum cum luctâ ac rebellione virium inferiorum ad superiores conditum asserunt, eamq; ex conditione naturæ à Deo conditæ deducunt. Illam autem rebellionem peccatum esse* Gal. 5. v. 7. Et Rom. 7. v. 7. *constat:* Cum *absolutam voluntatem quosdam non salvandi Deo tribuunt,* Bellarmin. l. 2. d. grat. C. 8. 16. *Unde peccatores esse & manere necessum est,* Et cum *multi eorum Physicam prædeterminationem voluntatis*

in

in omnibus actibus humanis tàm bonis, quàm malis, docent, ut Bannetz, Crabrera, Rispolis, Medina, Ferrariensis, Estius, Sylvius, Alvaretz d. 22 & 24. d. auxil. *Vbi fermè omnes* Thomistas *ita sentire tradit, Et* Tannerus T. 2. d. 2. & 6. *multos allegat, quam sententiam ipsum Calvini errorem esse. Deumq́ peccati authorem facere ex ipsis* Pontificiis *latè demonstrat* Suaretz L. 2. d. Concursu, c. 2. 3. Et l. 3. d. auxil. c. 7. 8. Et in brevi resolut. Controvers. d. auxil. rat. 5. n. 34. seq. *Idem visum est* Lessio Tr. d. grat. efficac c. 1. *Nec* Bellarminus *multum abludit* L. 1. d. grat. c. 12. *Vt in doctrina de* Præd est. gratiâ, & lib. arbitrio *plurib. doceri solet, &* Tract. d. Convers. c. 4. t. 7. *ex parte deducetur.* Idem Bellarm. *periculosè de negotio hoc loquitur* L. 2. d. amiss. grat. c. 13. *Vbi Deum non solùm permittere mala & deserere impios ait, sed & ipsis voluntatibus malis præsidere, eas regere, torquere, flectere, invisibiliter in illis operari, ut ad unum potiùs, quàm aliud malum permissivè ordinentur, imò positivè etiam inclinentur in unum, & ab alio avertantur. Quod jure in eo notavit* Chamier L. 3. c. 5. *Et rectè objecit* Maresius T. 1. c. l. n. 8. Et Photinianis *idem ex durioribus loquendi modis objiciatur, ut cum* Smalcius *Deum Pharaonem & alios indurasse ait, quia illi, quos induravit, & ad alia scelera perpetranda impulit, nempè per Diabolum, jam pridem mali fuerint, & cum destinasse Deum dicit, ut aliquis ex Christi domesticis eum traderet, idq́ mutari nullo modo potuisse,* d. 9. c. Frantz. p. 2. p. 426. *Quomodo & alius* in notis ad nod. Gord. *Et* Volkelius resp. ad nodum *loquuntur, Quod jure in illis notant* Jac. Martini c. 4. Syn. Phot. t. 12. *Et* Stegmannus d. 11. Phot. q. 1. *Et* Catechis. Racoviensis *Deum Pharaone & Judâ ad scelera abusum esse ait,* daß

Gott durch jemand böse Werck verrichte/ c. 10. *Quod rectè notavit* Balduinus c. 10. c. Cat. Rac. *Et Deum peccata decernere docent, ut* Smalcius, Volkelius, & alii, *quod rectè notat* Stegmann. c. l. *Quanquam ex illis* Nicolaides *Deum peccati causam facere suos summum scelus judicare ait*, refut. d. mission. minist. c. 10.

53. IX. Alii inter authorem & Causam *distingvunt, & Deum authorem peccati negant, sed Causam dicunt. Ita quosdam sentire* Maresius c. l. n. 9. *tradit, quamvis nullum exprimat. Sed subtiliùs, quàm solidiùs, distingvi ipse addit.* 1. Si *Deus ullo modo Causa, E. malitiæ originem aliquo modo ad Deum referemus, & sequentur omnia absurda* t. 30. seq. *recensita.* 2. Si Deus *causa mali, aut per se, quæ horrenda blasphemia, & non apud Christianos hodiè toleratur*, t. 27. *Aut per accidens, E. tamen vera Causa, & verè ad malitiam influxum dabit, nam sic Causa p. accid.* t. 6. seq. *Quod blasphemiæ vicinum est.* 3. Quia vel *illa Causa verè dicta erit, & sic Deus prima Causa propriè dicta malorum erit, quod non*, t. 30. Vel *non erit, & sic nec Causa dicenda erit, sed rectiùs à termino isto abstinebitur. Impropria enim & aliena significata tutiùs omittuntur, quàm adhibentur*, t. 54. *Vt & de Causâ per accid. dictum*, t. 22. *Notio enim, quâ datur melior, deponenda, & melior assumenda est, ut primum principium in Intelligentiâ habet.* 4. Discrimen *inter authorem & Causam in* Theologicis *non observatur, sed promiscuè termini in hâc materiâ usurpantur, ut sæpè conjungantur. Sic Deum non esse authorem & Causam peccati dicimus, sed Sathanam & hominem, etsi Philologi discrimina ista habeant, ut author sit, qui primus & præcipuus aliquid instituit, Causa, quæ quocunq; modo ad rem*

concur-

concurrit, t. 2. 3. *Sic venenum Causa mortis homini, non author est, & naturaliter agentia Causas, non authores vocamus, quod in agentibus liberis & voluntariis magis dicimus. Sic dux & author nobis opus est.* Tacitus *authorem pro Scriptore dixit. Salustius rerum Romanarum florentissimus author*, L. 3. Annal. C. 5. *Summus authorum, D. Julius tradit*, Idem German. C. 9.

54. X. Alii Deum Causam deficientem peccati dici posse putant, non efficientem, *si negativo sensu deficiens explicetur, ut rei absentiam vel cessationem notet, quæ si adesset vel ageret, effectum non sequeretur. Sic Sol occidens Causa tenebrarum, quæ, si is adesset horizonti, non adessent. Sic si Deus per gratiam adesset, homo non peccaret. Cum abest, peccat.* Conf. Joh. 11. v. 32. *Sic si remiges non mansissent in navi, non potuissent homines servari.* Actor. 27. v. 31. *Sic si gubernator navi adesset, non mergeretur ea. Cum abest, mergitur.* t. 19. *Ita Facultatem Theologicam Groningensem respondisse* Idem c. l. *tradit, Et ipse assentitur, nec ita sentientes Deum peccati authorem constituere censendos ait, cum nomen Causæ impropriè & latissimè sumant, nec causalitatem aut influxum ullum hic importari. Hæc in eandem loquendi inaccurationem incurrunt, ac* t. 22. *de quibusdam dictum.* 1. Si Causa deficiens *non est vera Causa, rectiùs nec ita appellatur, & ab impropriis, inaccuratis, & alienis vocibus potiùs abstinetur, quàm adhibentur, cum logomachias, contentiones, rixas, suspiciones, introducant, quæ in spiritualibus rebus diligenter cavendæ,* 1. Tim. 6. v. 4. 5. *Cum ne de Politicis principibus in Republ. facilè id feratur, sed ingens periculum incurratur,* t. 22. *Inprimis in Causâ Dei, cujus majestatem ne minimo apice, si fie-*

ri possit, lædere debet bonus Christianus, sed omni modo sartam conservare, c. l. *Et Philosophus non debet obiter, inaccuratè, alienè loqui, quando propriæ & accuratæ loquendi formæ suppetunt. Decet enim eum* ἀκριβολογεῖν, καὶ μὴ ἐκ παρόδου λόγους ἀποδέχεσθαι, *accuratè loqui, & non obiter natos sermones amplecti, ut* Aristotel. *monet alicubi.* 2. Peccatum *formaliter est ens merè defectivum, & efficientem non habet, sed tantùm deficientem,* t. 31. *Non ergò Deus hic Causa deficiens dici potest, Quasi alia peccati Causa efficiens esset, cum nonnisi à defectu efficientis ortum trahere possit. Homo autem ipse & Sathanas est Causa deficiens peccati,* c. l. *Non ergò Deus illius esse potest.* 3. Quia *perfectioni, infinitati, omnipotentiæ, eminentiæ, & majestati Dei repugnat, ullius rei Causam deficientem esse. Causa enim prima, independens, & universalis, perfectissimè agit, & deficere simpliciter in agendo non potest, Quod particularium, dependentium, & secundarum Causarum consequens est, agendo deficere. E. nec ullius rei Causa deficiens dici debet.* Conf. t. 32.

55. 4. Quia *si inde Causa pecc. deficiens Deus dicendus, quòd si gratiâ adfuisset, homo non peccasset, & Causa incensæ domus dicendus erit, qui domo abfuit, & si præsens fuisset, incendium provisione sua præcavere potuisset, & fecisset. At* hic modus loquendi non admittitur; *& nullo modo ille Causa incensæ domus dicitur, nec per se, nec per accidens, nec efficiens, nec deficiens, sed prorsùs negatur Causa incensionis, & illis imputatur, qui studio aut incuriâ incendium excitârunt.* 5. Quia exempla, *quæ hic adferuntur, pleraq; aliena & non ad rem sunt. Sol occidens propriè Causa tenebrarum non est, sed hæ ad absentiam illuminantis sponte succedunt & consequuntur.*

Multa

Multa autem consequuntur ad aliquid, quorum hoc Causa nullo modo est, nec deficiens, nec efficiens. Sic *ad ablatum è conclavi sub nocte lumen spontè tenebrosum conclave manet, nec absentiam luminis Causam tenebrositatis deficientem dices, quæ in conclavi jam tùm est ac fuit.* Ad *ignem ablatum frigus Musei succedit, nec ignis absentiam Causam deficientem frigoris in eo dices, quod aliundè Causam in Museo habet, aëre & vaporibus frigidis.* Sic *igne ab aqua ollâ amoto aqua ad Naturale sibi frigus se revocat, non autem ignis ademptio Causa frigoris in aquâ dicenda, quæ è propriâ suâ naturâ frigedinem obtinet citra præsentiam aut absentiam ignis, ad quam si Causa contrarij, caloris, non adsit, ignis nempè, qui vera ejus causa esse solet, nativâ suâ vi se reducit.* Ita *Sole non calefaciente redduntur aqua, aër, terra, suis naturis, & frigida sunt, non Sol absens Causa deficiens frigoris in illis appellatur, quod ex aliâ Causâ, quàm Sole aut absentiâ ejus, in ipsis jam est. Sol præsens quidem oppositi Causa in illis est, Caloris, & calida ista corpora reddit, cujus producendi in inferioribus virtutem ipse obtinet.* Sed absens *non Causa frigoris dici debet, quod in naturâ suâ ex alio principio jam elementa ista habent.* V. Dec. 1. Miscell. d. 2. t. 11. 12. seq.

56. Gubernator *à nave absens, cui ex officio adesse debet, & se adfuturum obligavit, Causa submersionis ejus non per accidens aut deficiens, sed per se & efficiens, sed moralis est, moderamine enim suo navem servare potuisset, & non fecit, eiq́ ut principali causæ, sed morali, effectus iste, submersio, imputatur, pœnaq́ in civilibus de ipso sumitur,* t. 19. 38. *Gratiæ divinæ subtractio propriè non est causa peccati in homine, hoc corrupta vitiositas & connata originalis pravitas est, quâ motus non*

potest

potest non peccare, Rom. 7. v. 14. seq. Ps. 51. v. 7. *Sed consequens & pœna præcedentis peccati, nec cuiquam Deus gratiam aufert, nisi qui peccatis id promeritus sit*, t. 29. 38. *Sed impedimenti peccati tantùm remotio est, quod justè Deus à promeritis removere potest. Quo impedimento remoto homo ex corruptâ naturâ jam in omne nefas ut Causa proruit, non ex gratiæ demùm subtractione ut Causâ id patrare necessum habet. Nec* ab impedimenti remotione ad causam *statim procedere licet. Sic in conversione impedimentum convertendi, malitiosam & præfractam resistentiam, homo removere potest, sed Causa suæ conversionis esse non potest, ut* Tract. de Conversione C. 9. t. 12. 17. *dicturus. Sic ab angelis malis Deus gratiam abstulit. Sed hoc non peccandi Causa in ipsis est, sed voluntarius ac malitiosus apostasias actus, indeq́ acquisitus peccandi habitus.* V. Michael. t. 67. 69.

57. 6. Quia *etiamsi in naturalibus ex absentiâ utcunq́ Causam deficientem colligere possis, in hâc tamen materiâ de peccato ad Deum nullo modo eam colligere debeas. Nam nec Deus Causa deficiens esse potest, cum imperfectionis hoc sit*, t. 55. *Nec peccati Causa ullo modo esse potest, quamcunq́ pingas aut ponas, impietatem enim hoc in Deum refundit, quod nefas de eo asserere, cum simpliciter & nullâ ratione Causa peccati sit aut esse possit*, t. 30. seq. *Illaq́ denominatio prorsùs naturæ ejus repugnet, ut* c. l. *dictum.*

XI. Alii dicunt, impios facere voluntatem Dei non præceptivam, *sed punitivam, non per se, sed per accidens.* Timplerus ex. 6. q. 40. *Et hoc cautè usurpandum. Impij ut impij & eoipso, quo peccant, nullam Dei voluntatem faciunt, sed quod non vult, odit, & abominatur.* Ps. 5. v. 5. seq. Ps. 11.

v. 6.

v. 6. Prov. 6. v. 16. C. 8. v. 7. 13. Esai. 61. v. 8. C. 65. v. 12. C. 66. v. 4. Mich. 3. v. 5. Zach. 8. v. 17. Sirac. 12. v. 7. C. 15. v. 11. seq. *Quà à Deo ad puniendum, castigandum, judicia Dei exercenda, adhibentur, sic velle Dei exequuntur, sed inscij & per accidens. Vt* ex proprio *agunt, nullum Dei velle agunt: Vt* ex alieno *& superiore dirigente, judicium aliquod Dei peragunt, & id, quod ipsi nolunt, sed Deus mirabiliter determinat, ut gloriæ suæ ac justitiæ præter intentionem & voluntatem illorũ inserviant.* V. t. 39. & auctar. 4. *Et sic non punitivam solùm, sed & castigativam, probativam, & explorativam voluntatem peragunt. Sed non ea in facto impij, sed Dei intento, consilio, & directione est, quæ Deus vult.*

58. Quid autem ad dicta Scripturæ *respondendum sit, quibus Deo Causa peccati imponi aut affricari videtur, ut cum indurare, excæcare, spiritum soporis aut erroris immittere, in reprobum sensum dare, spiritum mendacij suppeditare, malum creare, seducere, tentare, homines in viis suis dimittere, errare facere, Sathanæ tradere, jubere aliis maledicere, deserere, &c. dicitur, in Theologicis in doctrinâ de peccato pluribus deducitur. Quid ad varias rationes & consequentias, quas* è concursu Dei ad motus, *prævisione, permissione, ordinatione, directione, gubernatione peccati, conservatione naturæ peccantis, similibusq; ratio nectit, reponendum, ex* t. 37. seq. hujus Tract. *patet. Plura* in Theologicis *& pleniùs deducenda. Hic de modis quibusdam loquendi occasione termini Causæ per accidens nonnulla monuisse, hac vice sufficiat.*

GLORIA IN EXCELSIS DEO.

Auctaria.

Cum in pagellis residuum spatij permanserit, ob argumenti similitudinem sequentia auctariorum vice subnectere visum.

1. Peccatum interdùm reatus in Theologicis dici solet. Negat Timplerus *ex Phil. 6. q. 13.* Quòd Causa meritoria ejus sit, & reatus propriè sit, quod peccatum meretur. Formale peccati propriè in ἀνομία est, *1. Joh. 3. v. 4.* Sed immediatum consequens & effectus ejus reatus est. Sed relativè acceptum peccatum reatus dici potest. Ita in Sacris pro reatu accipitur. *Gen. 43. v. 9.* Sic fidem non ut qualitatem & inhærens, sed ut relationem, & Christum respiciens ac apprehendens, justificare dici solet. Et reatus peccati *partìm* est culpæ, i. e. dignitas odii, quòd homo odio Dei per id dignus, *partìm* pœnæ, h. e. obligatio ad pœnam, quòd pœnâ dignus. Et reatus peccati originalis propriè non pœna ejus, sed obligatio ad pœnam est, quà homo pœnis & iræ Dei subjicitur.

2. *Omnes peccati gradus* digni sunt morte. Sed non omnes generant mortem, ob subjectum renatum, à quo fiunt. *Jacob. 1. v. 15.*

3. *Deus* non habet legem moralem à superiore, per quam peccare nequeat, sed naturalem à seipso. Prima enim & essentialis sanctimonia est, & seipsum negare non potest. V. t. 30. 33.

4. Deus peccata hominum ordinat, non quòd voluntates eorum aliàs ad utrumq; indifferentes occulto suo decreto ad lapsus & peccata instiget, inclinet, disponat: Sed

sed quòd peccatis ex liberâ hominis voluntate ortis bonos fines præfigat, ipsis peccatis & peccantibus planè accidentarios, ac non intentos. Sic in venditione Josephi, *Gen.* 45. & 50. furore Assyrij, *Esai.* 10. traditione Christi, *Act.* 2. & 4. *V. t.* 39. Non quæ ipse fecit, sed quæ alij. Ordinat optimè, quæ homines fecerunt pessimè. Sic in analysi Logicâ ordinamus ea, quæ alij composuerunt. Et impij organa Dei in classe similium, non causarum, dicuntur, eventualiter, non causaliter, consequenter, non antecedenter, non quâ peccant, sed cum peccant, quâ Deus peccata illa ad puniendos, castigandos, aut probandos homines dirigit, quod peccantes non intendunt.

5. Non solùm considerandum, quî Deus peccata permittat, aut ad finem dirigat ἐκβαλικῶς, sed & ex quo principio & quâ efficaciâ respectu Dei decernantur & procurentur secũdùm quosdam *Reform.* Cum enim de judicio Dei in peccatis sua intelligi dicunt, *quidam* de judicio in transgressores accipiunt, *quidam ad* hominem lapsum & lapsurum indistinctè extendunt. Sic ad Adamum integrum. Quo modo Deus in peccati causam trahetur. Et si Deus sine peccato justitiam demónstrare nequit, & suprema absolutæ reprobationis causa est, & consequentium ex eâ causam esse colligi queat. Inter hæc autem peccata sunt. Et qui approbat lapsum in decreto, non potest eum improbare in facto. *Quòd si* & decernit peccata, cur non velle dicatur? Meliùs tamen dicitur *decernere, se permissurum peccatum, quàm ipsum peccatum.* Hoc causam, illud præter præscientiam, fines eventualiter provenientes & antecedens aliquod notat. Sic lapsus permissionem decrevit, non lapsum, quem vetuit. Et peccatum non est à decreto permittente Dei, sed secundùm illud. Hoc antecedens, ordinem

dinem

dinem, illud causam notat. Nec peccato hominis ad gloriam manifestandam eguit, quæ per creationem Mundi, angelorum, hominum ad imaginem suam, lapsos angelos punitos, satis manifestata fuit.

6. Concurrit *Deus* ad peccatum *sustentando* subjectum, quod sine eo corrueret, *præcipiendo*, *prohibendo*, *permittendo*, *coercendo*, *deserendo*, *non impediendo & retrahendo*, Sathanæ tradendo, metas præfigendo, puniendo, determinando, indurando, bonum eliciendo, gloriam manifestando, judicia sua in peccatis exercendo. Et exagitatio, Sathanæ traditio, non *tàm* judicia Dei, *quàm* effecta ejus sunt, in quib. Dei judicia elucent. Deus efficaciam erroris mittere dicitur *quà ipsum formale* erroris privativè & desertivè. *quà finem*, qui bonus, effectivè. Judicium Dei in impiis quà pœnam ad sententiam, quæ bona, non operationem & administrationem pœnæ pertinet, in quâ mala ab hominibus & Sathanâ intercurrere possunt. Pœna plerumq; judicium sequitur.

7. Posteri Adami sunt *miseri participatione* culpæ actualis Adami, quia is caput, stirps, & radix totius generis humani fuit, *imputatione* reatus legalis, quia peccando se & posteros reos fecit, *& propagatione* pravitatis naturalis, quia per eum in peccato concipimur, fovemur, & nascimur. *Psal. 50. v. 7. Rom. 5. v. 12. seqq.*